


Inter libros
Joseph Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A L. X.

VITA THEODERICI REGIS QVONdam Ostrogothorum & Italiæ.

QVERELA ITEM DE REIpublicæ statu sub Iustiniano Imp. I. Ad Augustæ memoriæ MAXIMILIANVM Cæsarem olim scripta Bononiæ, & nunc primum euulgata.

AVTHORE IOANNE Cochlæo Germano.





EX OFFICINA ALEXANdri Vueissenborn Calcographi Ingolstadiensis.
M. D. XLIIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cesareæ Maiestatis.



MAGNIFICO SPECTABILIque Viro Domino Ioanni Georgio Paumgartnero, Sereniss. Regis Ro. Vng. Bohe. &c. Domini & Patroni mei omniũ Clementissimi Consiliario &c. Ioannes Cochlæus S. P. D.




Agnifice Domine, nuper é Spira ad me scribens Reuerẽdus Dominus, Magister Ioãnes Hasenbergius, Bohemus, Prępositus Lythomericẽsis, ac Liberorũ Regię Maiestatis, præcipue uero Serenissimorũ Archiducum Austriæ &c. In linguarum bonarumq; literarum studio Præceptor, multis iam annis fœlici opera uitęq; integritate probatus, Dixit mihi nomine tuo salutem, quam certe ut insperatam, ita uelut auspicatissimam ac optimi ominis nunciam, non uulgari cum gaudio suscepi, Daturus sane operam, ut tuæ erga me beneuolẽtię ultro ex innata bonitate tua conceptę & oblatæ, quam nulla mea erga Magnificẽtiam tuam uel merita uel obsequia pepererunt, te non pœniteat aliquando. Iam pridem enim ex Clarissimæ memorię uiri Erasmi Roterodami scriptis intellexi, quàm cãdide faueas quibuslibet recta cum pietate literatis. Quare ut faustum sit meæ erga te obseruantiæ auspicium, hunc celebri nomini tuo nuncupo libellum, quem ante bienniũ scripsi Vratislauię, quando me tenebat haud frigidum uisendi Gothiæ ac Sueciæ Regni desyderium, quod in me Schondiæ descriptione excitauerat egregie doctus uir Iacobus Zieglerus Landauus, maxime propter Bibliothecam insignem cuiusdam monasterij,

libris ueterum authorum prædiuitem, Quo tamen profectus non sum, amicorum retentus consilio, atq; etiam nouarum sectarum improbitatibus à tam longinquo et periculoso itinere absterritus. Verum dũ ante annos XXIX. agerem Bononiæ, atq; Legum Iustiniani Imp. occasione inciderem in historias Procopij de bello Gothico, multa in ijs inueni, quę animum meum in fauorem Ostrogothorum, qui in Italia regnauerunt, trahebant. Eum uero fauorem mirum in modum auxerũt in me postea dum agerem Romę, Cassiodori Senatoris Epistolę, quas sane multo cũ labore illic conquisiui, quia nullum exemplarium, quę mihi uidere contigit, omnes epistolarum illarum libros plene continebat. Itaq; aliquot inde Rescripta excerpsi, in XIII. Titulos digesta, quæ ante annos XV. dum Dresdæ agerẽ sub Illustrissimo fœlicis & sanctę memorię Principe, Duce Saxoniæ GEORGIO, in publicum edidi, Ex quibus lector, nõ omnino stupidus, facile intelligit (ni fallor) haud ita immite aut Tyrannicum fuisse illorũ in Italia Gothorum Imperium, sicut existimarunt nonnulli, propter alienam gentis linguã. Nulla mihi profecto alia est erga eã gentem (quę Mille iam annis extincta iacet) fauoris ac studij causa, nisi sola uirtutis opinio, quam in quacunq; gente repertam amo, suspicio, laudo ac ueneror. Et eundem esse tibi quoq; morem ac animum, persuadet mihi tuus tãtopere ab Erasmo deprædicatus candor. Rogo itaq; plurimum, ut libellum hunc perlegere digneris, tuumque benigne indicare mihi de hoc Theoderico iudicium. Quem si probaueris mecum, excepta religionis causa, describam tibi deinceps alterum eiusdem gẽtis Regem, nomine Totylam Romanæ urbis euersorem, quem plærique Historicorum ob id maxime detestantur, Quàm iuste uero id faciant, tuum profecto perlubenter auditurus sum iudicium

cium, posteaquam eius uitam gestaque, quantum per Dei gratiam potero, bona fide perscripsero. Libet enim paulisper animum relaxare à contentiosis aduersus nouas sectas libellis, & iucundiore aliqua rerum commemoratione recreare. Quod ut boni consulas, Paumgartnere obseruandissime etiam atque etiam te precor. Benevale. Ex ciuitate Eystetensi, Quarto Nonas Iunij. M. D. XLIIII.

THEODERICI REGIS Ostrogothorum et Italiæ Vita, per Ioannem Cochlæum.

DE PATRIA ET MVLtitudine Gotthorum. Caput I.



HEodericus Rex, quem patria lingua Dieterich uocant, ex Illustri Amalorum Gothicæ gentis familia procreatus, patrem habuit Ostrogothorum Regem, nomine Theodemirũ, qui lingua Gothica Dicthmarus est uocitatus. Quamuis uero et apud Latinos & apud Græcos pro Barbaris habeãtur Gothi, multis tamen Nationibus barbaris fuerunt tum rebus gestis clariores, tum animi uirtute & Procerum nobilitate præstantiores.

Gothorum prima et originalis patria.

Cæterum, de primis Gothorum sedibus & natali solo, uaria & incerta fuit permultis seculis apud Geographos et Historicos opinio. Nã alij Scythas, alij Sarmatas, alij Germanos dixerunt. Nunc autem recentiores Cosmographi, certa rerum experientia edocti, affirmant, Gothos prima origine habuisse atq; adhuc hodie habere patriã in amplissima terra septentrionali, quæ ultra Germaniæ oram & mare Balthicum in Boream latissime extenditur, linguam habens Germanicam quidem ab origine, sed temporum mutabilitate in plerisq; uariatã. Paret hodie regi Suecię, cuius florẽtissimum latissimumq; est regnũ in Aquilone, Quod ueteres Scandiam aut Scandinauiam dixere.

Schondia.

Iacobus aũt Zieglerus Landauus, uir nostro æuo multiiuga

tiiuga eruditione clarus, uocat Schondiam, ab amœnitate & pulchritudine terræ. Quoniam cœli beneficio, telluris obsequio, portuum & Emporiorum commoditate, maritimis opibus, lacuum & fluminum piscatione, uenatione nobilium ferarum, auri, argenti, plumbi, ferri & cupri inexhaustis uenis, coloni industria exercendo agro, oppidorum frequentia, ciuilibus institutis, nulli cedat (ut is inquit) beatæ regioni. Quo autem tempore Sobolem emiserint Gothi, ad nouas quærēdas sedes, & quando Meotidis & Asiæ littora occuparint, nulli ueterum explicuerunt. Plinius li. 4. cap. 13.

Habet adhuc hodie Gothia Ducatus & multos & amplos, quorum nomina sunt Dalia, Vuermelādia, Vuestrogothia, Ostrogothia, Hallandia, Smalādia, Verendia, Blechingia, Moringia &c. atq; in ijs urbes amplas, Emporia celebria, & Ciuitates Episcopales, Inter quas clarissimæ sunt Lundis et Vpsalia Metropoles. Calmaria autem urbs magna, portus & Emporium, arcem habet, quæ operum magnificētia certat (ut ait idem Landauus) cum arce Mediolanensi. Ducatus et urbes Gothiæ.

Habet præterea insulas adiacentes, è quibus est Gothlandia. In qua fuisse ferunt prima statiua Gothorum, qui Meotidem occuparunt. Est in ea Visbi ciuitas, quę Emporium fuit antiquum, celeberrimum olim, instar eius quod apud Genuam Ligurum est. Postea uero Danorum & Moschorum Piraticis excursionibus afflictum, desertum est. Extant hodie ruinæ, testantes ueterem claritatem. Est hodieque fertilitate agri & arce & monasterijs insignis. In reliquis namque est Cœnobium Ordinis Diui Benedicti, In quo fertur esse Bibliotheca circiter Duûm Milium & autorum & codicum ueterum. Hæc de primis Gothorum sedibus obiter dicta sint. Gothlādia.

Quo-

Gothi ad Meotidē sedes occuparunt.

Quoties autem mutauerint sedes ij, qui patriam egressi, Meotidem occuparunt, & inde in Asiam Europāq;, quin etiam in Aegyptum & Africam excursiones fecerunt, per longum esset referre, atque etiam superuacaneum. Quandoquidem & Romani & Græci rerum scriptores, atq; etiā Ecclesiastici Doctores Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & id genus alij permulta de ijs in literas retulerunt. Et Aurelius Cassiodorus in pręfatione operis sui, quod uariarum epistolarum XII. libros continet, fatetur se XII. libris Gothorum historiam defloratis (ut ait) prosperitatibus condidisse.

Orosius lib. 1. ca. 12

Certe & antiquitatem & potentiam eorum clare his testatur uerbis Paulus Orosius. Gethæ, inquit, sunt, qui & nunc Gothi, Quos Alexander euitandos pronunciauit. Pyrrhus exhorruit, Cęsar etiam declinauit. Eorum autem res gestas eleganter breui compendio complectitur Ludouicus Viues Hispanus, in Cōmmētario suo super XXII. libros S. Augustini de ciuitate Dei à Cæsaris & Augusti temporibus, usq; ad annos Alarici Regis Visigothorum, qui Augustini temporibus Romam cepit atq; diripuit. Ita clementer tamen is ac moderate se gessit, ut publico caueret edicto, antequam urbem irrumperet, ut si qui in sancta loca, pręcipueq; in sanctorum Apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos securosq; esse finerent Gothi. Deinde inquantum possent, prædę inhiantes, à sanguine temperarent. Quinetiā sacra uasa tam aurea quam argētea, ex Basilica S. Petri ad se portata, iussit integre omnia reportari, sicut clare testantur Augustinus, Orosius & Cassiodorus.

Romæ per Visigothos direptio.

Aug. de Ciuit. dei. li. 5. cap. 23. Orosius li. 7. cap. 25

Quanta autem fuerit multitudo Gothicę gentis, quę relicta patria ad Meotidem consedit, & ad Istrum usq; sedes suas extendit, cōijcere licet ex rebus gestis Claudij II. Imp.

Qui

Qui ad Senatum ſcribens ait. Patres Conſcripti militãtes audite quod uerum eſt, CCCXX. Milia Barbarorum in Romanum ſolum armati uenerunt. Hæc ſi uicero, uos uicem reddite meritis. Si non uicero, ſcitote me poſt Galienũ uelle pugnare. Idem poſtea ad Iunium Brochum Illyricũ tuentem ſic ſcripſit. Deleuimus CCCXX. Milia Gothorum, Duo Milia nauiũ merſimus, tecta ſunt flumina ſcutis, ſpathis & lanceolis, omnia littora operiuntur, campi oſſibus latent tecti, nullum iter purum eſt, ingẽs carrago deſerta eſt, tantum mulierum cepimus, ut binas ac ternas mulieres uictor ſibi miles poſſit adiũgere. Poſt hanc tamẽ cladem, mox iterum in arma conſurrexerunt Gothi aduerſus bellicoſum Imperatorem Aurelianum, qui Claudio ſucceſſit, ſicuti teſtatur Oroſius, ſic dicens. Expeditione in Danubium ſuſcepta, Gothos magnis prælijs ſtrauit, ditionẽq; Romanam antiquis terminis ſtatuit.

Trebellius Pollio in uita Claudij.

Inſignis Claudij II. de Gothis uictoria.

Quamuis uero poſtea eandem gẽtem multis magniſq; prælijs fuderint fregerintq; clariſſimi Imperatores Conſtãtinus Magnus, & paulo poſt Theodoſius Senior, nihilominus tamen ad numeroſos mox reparãdos exercitus inexhauſta ſuffecit gentis multitudo. Quorum ſane exercituũ unus in Thracia Valentem Imperatorem ualidiſſimo cum exercitu obuſantem, non ſolum uicit ac ſtrauit, uerũ etiam in fuga comprehenſum combuſſit. Alter uero paulo poſt ſub Honorio Imp. Theodoſij filio cum CC. Milibus, duce Rhadagaſo, Italiã inuadens, in Feſulanis montibus cõcluſus interijt. Nihilominus ſub eodem Honorio alius Gothorum exercitus in Italiam irrumpens, cum rege ſuo Alarico, Romam biennio obſedit, cepitq; tãdem atq; diripuit, Honorio Rauennę conſiſtente. Et hi tres exercitus ex una gentis parte, nẽpe ex Viſigothis fuiſſe memorantur.

Magni & multi Gothorum exercitus.

Pars uero altera, quæ Oſtrogothorum erat, non multo

Oſtrogothorũ bella

Ostrogothorũ bella minor fuisse creditur. Veteres dixere hos Getas, illos Dacos. Ipsi autem patrio sermone Ostrogothos ad Orientẽ, Vuestrogothos ad Occidentẽ circa Istrum habitantes dixerunt. Dum autem Visigothi post direptam Romam in Hispanias profecti, eas pacifice tenerent, erupit ẽ Scythia gens Hunnorum, Attila duce, qui Ostrogothos ẽ sedibus suis pellens, & secũ (ut multas alias gentes) in Gallias educens armatos (uti Blondus affirmat) uictus ab Aetio Valentiniani III. Imp. Prefecto & à Rege Visigothorũ Theoderico, qui contra Quingenta uirorum (quos Attila ducebat) Milia uires suas coniunxerant, inglorius in Pannonias reuersus fuit, et post mortem eius uictis ab Ostrogothis & à Gepidis filijs eius, mox Oriẽtali Imperio uires Ostrogothorum, sub Martiano & Leone Imperatoribus, formidini esse cœperunt. Quorum sane metu, Martianus cum Persis & cum Vandalis inducias pepigit, ut integras haberet contra propinquos Barbaros uires, & tamẽ Arnestidem magistrũ militũ aduersus eos cũ exercitu missum perdidit.

Blondus decad.1.li.2

Fœdus Leonis Imp. cũ Ostrogothis.

Leo autem, ut tutior ab eis esset, cum Illyricum uastarent Ostrogothi, pactis inducijs, utramq; Pannoniã Mœsiamq; ipsis pacifice permisit. Valemir autem rex eorũ aduersus Scythas egressus, infœliciter pugnãs ab illis uictus & occisus est, atq; ita totius regni potestas ad Theodemirum fratrem eius deuoluta est. Hic in fidem induciarum Leoni Imp. obsidem dedit Theodericum filium suum unicum. Leo aũt postea, ut regẽ hunc liberalitate sibi deuinciret, atq; amicicia iũgeret, ultro remisit ei ẽ Constãtinopoli Theodericũ filiũ, honorifice regio & indumẽto et comitatu deductũ. Rex igitur Theodemirus tãto munere exhilaratus, induciarũ fœdera (quod Leonẽ tacito desyderare intelligebat) in securissimã Romane Reip. pacẽ cõmutauit.

Filium autem qui duo de uigesimũ agebat ætatis annũ,

misit

misit cum exercitu in Sarmatas, Iuuenis itaq; impiger, trã sito Danubio seu Istro (quod idẽ est) irruit improuisus in hostem. Est enim Ister maximus Europæ (ut in Meteoris asserit Aristoteles & post eũ Mela, Strabo & Plinius) fluuius, qui utique cum exercitu facile transiri non potuit, prę sertim in Moesia. Et rege Sarmatarũ Babach interempto, uictor ad genitorem in Moesiam est reuersus. Hæc ea ratione prolixius cõmemorata sint, ut ex ijs lector intelligat, quã nobilis ac generosus fuerit mox á cunabilis Rex iste Thodericus, cuius uitam ac regnũ describere est animus. Prima Regis Theoderici expeditio & uictoria.

Gens eñ Gothorũ, etsi lingua semper habita fuerit á Gręcis & Latinis barbara, sicut & aliarũ nationũ linguas recepta iam olim opinione barbaras uocant, In plærisq; tamen nationib⁹, ut in Persis, Indis, Phœnicib. Aegyptijs & Aethiopib. optima olim Reip. dispositio fuisse cõmemoratur. Et inter linguas nõnullę sunt, quę latina Gręcaq; in multis rerũ significatioib. sunt magis copiosę, proprięq; et argutę, maxie si gloriãtib. de lĩgua sua hebręis et caldęis credat, quẽ adinodũ ego neq; temere neq; libenter credo atq; existimo. Gentes Barbaræ.

DE NOBILITATE GEneris Theoderici. Caput II.

QVod aũt rex iste Theodericus Generis nobilitate & antiqtate ꝑmultos tã Occidẽtalis ꝗ Oriẽtalis Imperij Ro. Principes, q uenerabilit Diui atq; Augusti, dicti sũt ãtecesserit (ut de ꝓprijs animi uirtutib. interim nihil dicã) facile existimabit ęqu⁹ lector, si collationẽ per aliq̃t exẽpla fecerit. Certe ea, quę in ipsũ Augustũ Cęsarẽ Cicero grauissime in ultia, ni fallor, epistola sua scripsit, in hũc Theoderi cum à nullo uere scribi possent. Inter multa enim alia quæ ei ex probat, acerbissime sic ait. Nobilitas Generis Theoderici

Cicero in Epistola ad Octauium.

Quem accipient de posteris suis nūcium illi ueteres Aphricani, Maximi, Pauli, Scipiones? Quid de sua patria audient, quam spolijs Triūphisq; decorarunt? An esse quēdam, annos XIIII. natum, cuius auus fuerit argentarius, adstipulator pater, uterq; uero fecerit precarium questum, sed alter usq; ad senectutem ut non negaret, alter à puericia ut non posset non confiteri. Eū agere, rapere Rempub. cui nulla uirtus, nullæ bello subactæ & ad Imperium adiunctæ prouinciæ, nulla dignitas maiorum cōciliasset opē potentium, sed forma per dedecus pecuniam, et nomē nobile conscelceratum impudiciciæ dedisset, ueteres uulneribus & ætate confectos Iulianos gladiatores, egētes reliquias Cæsaris ludi, ad rudem compulisset. Quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi uiueret, Qui tanquam in Dotali matrimonio Remp. testamento legatam sibi obtineret. Audiet C. Marius impudico Domino parere nos, qui ne militem quidē habere uoluit nisi pudicum. Audiet Brutus, eum populum, quem ipse primo, post progenies eius à Regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. Hæc in ipsum Augustum (In cuius imitationem et gloriā omnes postea Imperatores Romani Augusti dicti sunt) Cicero Oratorum summus & uir Consularis.

Laus Amalasiuntæ filiæ Theoderici. Cassiodor9 epistolarū libro XI. epist. 1.

Quam nobilis uero & longa Regum Serie generosus, atq; Natalibus illustris fuerit Theodericus iste noster, conijcere licet ex his Cassiodori, nobilis item Senatoris Consularisque uiri & Præfecti Prætorio uerbis, quæ de filia huius Theoderici Amalasiuntha ad Senatum urbis Romæ, ante annos Mille scripsit. Hanc, inquit, si parētum cohors illa Regalis aspiceret, tanquam in speculum purissimum sua præconia mox uideret. Enituit enim Amalus fœlicitate, Ostrogotha patiētia, Athala mansuetudine, Munitauerius æquitate, Vuimūdus forma, Thorismut castitate, Vua

lamer.

lamer fide, Thendamer pietate, sapientia (ut iam uidistis) inclytus pater. Cognoscerent hic profecto uniuersi sigillatim propria, & fœliciter faterētur esse superata, quādo unius prçconium cum turba se iure non potest æquare uirtutum. Aestimate, quale eis esset de tali hçrede gaudium, quç merita potuit transire cunctorum. Hæc sanctus ille Senator, quem de adulatione grauitas & integritas uitæ suspectum esse non sinit.

Quid ergo dicemus de multis post Augustum Imperatoribus, siue Romç, siue Constantinopoli Imperio potitis, qui ignotis, barbaris aut obscuris parentibus orti, ad dignitatis & Imperij culmen aut ui militari, aut fraude, aut errore fuerūt euecti. Etenim Augustale fastigium assecuti sunt Romç, post Augusti, Vespasiani, Antoninique posteros, plæriq; quorum maiores neq; Regali neq; Consulari prosapia illustres fuere. Septimius Seuerus Apher, patria Leptitanus, magnus quidem & in multis Reipub. utilis fuit Imperator, sicut attestatur Aelius Spartianus, Cçdibus tamē Illustrium uirorū adeo infamis fuit (ut ait Baptista Egnatius) ut Punicas clades in toga cçsorum ciuium Romanorum sanguine repēderit. Opilius Macrinus, obscurissimis parentibus ortus, malis artibus ac pudendis ad Præfecturam euectus, Imperium post interfectum Antoninum Seueri filium inuasit, ac paulo plus uno anno tenuit. Cui longe peior Ignobiliorq; successit Varius Heliogabalus, siue Syrus siue Assyrius genere, ex incestu procreatus, quo nullus Principum maiore libidinis flagrauit infamia. Sed & Alexander Seuerus, optimus alioqui Princeps, natalium fulgore Theoderico nostro æquari minime potest. Nā Syrus fuit & Heliogabalo cōsobrinus, cuius maiores neq; Reges neq; Cōsules fuere. Successit et Iulius Maximinus, de uico Thracię, uicino (ut ait Iuli9 Capitolin9) barbaris, barbaro

Imperatorū quorundam ignobilitas.

Seuerus.

Macrinus.

Heliogabalus.

Alexander

Maximin9.

 baro

baro etiam patre & matre genitus, Quod ipse ubi ad Imperium uenit, occuli præcepit. Longum foret reliquos commemorare, quos obscuris natos parentibus, fortuna, uirtusue aut fraus Romanum ad Imperium extulit.

Paucos referre libet obiter ex ijs, qui post Constantini Magni & Theodosij posteros imperauerunt, Omnes fere ex humili genere nati dicũtur, etiã ij qui ad alios collati, optimi fuisse uidentur. Sic enim admirabundus de Iustino seniore ait Egnatius.

Iustinus Senior.

Quis credat Thracem hominẽ, armentariũ & sues agẽtem, sine tribu, ignotis obscurisq; parentibus ortũ, & rebus præfuisse, & rẽ tũ fœliciter, tũ optime administrasse? Rexit tamen ille summa cũ laude. Item de Michaele Balbo sic habet. Amoriũ Phrygiæ superioris oppidulũ dedit hũc Principem, nõ humili solũ, sed sordido etiã loco natum &c. Itẽ de Basilio Macedone. Quis (inquit) crederet & hunc captiuũ inter uenales Cõstãtinopolim adductũ, Romanæ rei præfuisse, qui nec patriã, nec parentes saltem ciere posset? præfuit tamen, & eo rerum successu, ut ad eius nepotes Imperij maiestas transierit.

Michael Balbus.

Basilius Macedo.

Octo Imperatores Romæ intra 15. annos.

Sed ne prolixius per longam sæculorum seriẽ uagemur, conferamus eos saltẽ Imperatores Romanos, huic Gothorum Regi Theoderico, qui ipsius tẽporibus Reip. præfuerunt. Romæ quidẽ post Valẽtiniani Tertij necẽ Auitus, Senatorij uir ordinis, Auitũ Maiorianus, Hũc Seuerianus, Seuerianum Anthemius, Anthemium Liberius subsecutus est, Cui Glycerius, et Glycerio Nepos statim successit. Quo per uim pulso, Augustulus Horestis patricij filius rerum potitus breui tempore, per Odoacrem Herulum & Imperio & Augusti nomine spoliatus est. Et hi omnes in unum cõiuncti uix bene XV. annos Imperij numerare possunt,

neq;

neque præclari quicquam gessisse memorantur. Certe una Theoderici nostri expeditio, qua in Sarmatas transito Danubio patris iussu & auspicio duxit, anno ætatis suæ XVIII. (uti supra dictum est) omnium istorum Imperatorculorum gestis ab æquo rerum iudice haud dubie præferetur.

Constantinopoli autem eius temporibus Imperarunt Leo, Zeno, Anastasius & Iustinus, Non pessimi quidem Imperatores, sed natalibus atque etiã uirtute & rebus gestis hoc rege nostro longe inferiores, Neque ita legitime ad Imperium, sicut iste, ad regnum peruenerunt. Quemadmodũ grauiter & elegãter narrat paucis Pomponius Lætus. Factione, inquit, & suffragijs Asparis Leon dicitur Imperator & Augustus, ut Ardaburium Asparis filium Cęsarem diceret. Populus autem patrem interfecit cum filio. Leon itaque post cędem Ardaburij nepotem ex filia, Zenonis filium Leontem Cæsarem fecit. Zenonem Leon secundus sua manu coronauit. Fuit Zenon ex Isauris Ciliciæ, humilibus parentibus natus, humili & incognita uilla, non minus uultu quam moribus deformis. Imperauit non ut Augustus, sed ut Tyrannus. Anastasius magno consensu Princeps electus, statim donatiuum militibus dedit. Hic malo genio actus, in Diuinis precepit non Trinitatem, sed Quaternitatem adorandam esse. Cui ciuiles motus adeo creuere, ut nisi simulasset se mutasse mentẽ, Imperio priuatus dedisset poenas. Sed coelestem iram quis uitat? ictus fulmine occidit. Iustinus autem Thrax, sine imaginibus, sine tribu, utroque parente ignobilis, à teneris annis suum custos, deinde boum, post Lignarij cuiusdam minister, natus annos XVI. militare coepit, promptusque manu, et doctus ferire hostem, sortem mutauit.

Leon. Zenon. Anastasius. Iustinus Thrax.

At

At Rex iste Theodericus, nequaquam talis in prosapia sua fuit, qui tot Reges atque fortissimos bellorum duces, parentes atque maiores habuit, bellator & ipse peritissimus, Quem Otto Episcopus Frisingensis Duodecimũ ab Hermanarico Ostrogothorum rege commemorat. Cæterum de generis nobilitate ipse met suum ex sorore nepotem admonet Theodohadum, qui ad rem auidior erat, & auariciæ maculam stirpi tam nobili uidebatur inferre. Quid faciũt (inquit) sordes animorum in splendore natalium? Illud te potius decet eligere, quod nos possit ornare. Amali sanguinis uirum non decet uulgare desyderium, quia genus suum conspicit esse purpuratum.

Cassiodrus in epist. li. 4. epist. Inter.

Hæc ideo prolixius commemorata sunt, propter fastidiosos & superbos quosdam, qui putant, magnam á fortuna iniuriam Romæ et Italiæ illatam esse, per regem istum, quem & barbarum & Tyrannum uocare non uerentur, cũ reuera clarior nobiliorque fuerit uniuersis Imperatoribus, qui ipsius temporibus Augusti nomen siue Romę siue Cõstantinopoli habuerunt, si unam exceperis fidei causam, quod non Catholicus, sed Arrianus fuit.

Sed eam maculam contraxit gens Catholica ab impio Principe Valente, qui gentem, ad Christum conuersam, per Arrianos Episcopos & presbyteros fidei rudiměta corrupte atque peruerse docuit. Vnde factum est, ut tam Visigothi in Hispanijs, quam Ostrogothi in Italia secundum Arriana dogmata in Christũ crediderint, nolentes à primo, quo imbuti fuerant, Catechismo in aliam fidei formam concedere, nisi quod in Hispanijs tandem temporibus S. Gregorij Papæ I. ad fidem Catholicam fœliciter sunt conuersi. Eam igitur labem non tam gentis quam Valentis maliciæ atque impietati acceptam referre debemus, quam & Deus ipse nõ leuiter in illo ultus est, cuius iusto iudicio Valens ille ab eadem

Gothi per Valentěm Imp. facti sunt Arriani.

ipsa gente quam impie ac maligne in fide Christi seduxerat non solum bello superatus & captus, uerum etiã uiuus (quæ pœna Hæreticis debetur) exustus est, licet error in fide, quo semel à principio fuit gens imbuta, nimis tenaciter in cordibus Gothorum hęserit. Iuxta illud Horatij. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Quare labes ea, quam rex Theodericus mox ab infancia hausit, & uelut ex maternis suxit uberibus, magis infœlicitati & malignitati eius adscribenda uidetur.

Sed omissa hic fidei causa, res gestas prosequamur potius & honestatis exempla, qualia etiam de Ethnicis Principibus ac Regibus, ut de Cyro, de Agesilao, de Epaminũda, de Augusto, de Traiano, de Alexandro, de Probo et id genus multis libenter legimus, & nobis nostrisq; Principibus uelut laudabilia Dei & Naturę dona, imitanda proponimus, nihil dubitantes, à Deo esse omnem uirtutẽ, & omne opus bonum, à quocunq; homine fiat, licet extra fidem Catholicam nulli ad salutem ęternam prodesse possit. Exẽpla honestatis etiã ab Ethnicis colligenda.

DE AMICICIA INTER Zenonem & Theodericum. Cap. III.

DEfunctis igitur in pace communi Leone Imperatore & Theodemiro Rege, successerũt, in Imperio Zeno, cui filius suus (quem Leo ex filia nepotem, successorẽ dixerat) ultro cessit & manu sua coronam imposuit, In regno Gothorum Theodericus, quem & patris merita et recens de Sarmatis parta uictoria, uniuersis Gothis amabilẽ reddebant, atq; supra cæteros regni Proceres commendabant. Is ad confirmandam pacem & amiciciam à Zenone uocatus, ea se facilitate Constantinopolim cõtulit, qua

Leo inde remiserat cum genitori. Quem Zeno sane non solum honorifice suscepit, uerum etiam multis allexit si- bique deuinxit beneficijs, Nam constituit ei & exercitui eius annua stipendia, & ipsum decorauit Patriciatus di- gnitate, atque etiam equestrem ex ære statuam ei in Pala- tio locauit.

Desyderiũ Gothorum ad nouas se des.

Quamuis autem Ostrogothi à Zenone stipendia inte- gre acciperent, & amplas Moesiæ ac Panoniæ prouinci- as, agro fertiles & ad uictum necessaria cuncta suppeditan- tes possiderent; ad nouas tamen quærendas sedes incitabã- tur, partim gloriæ, partim inuidiæ stimulis. Conquesti sunt itaq; Regi suo, se domi marcescere ocio; alias gentes, qui- bus nec armis nec uirtute cederent, aliena possidere cũ glo ria & opibus regna, Francos & Burgundios Gallias, Visi- gothos Hispanias, Anglos Saxones Britanniam, Vanda- los Aphricam, Herulos autẽ Italiam. Educeret igitur ipsos rogabant, in quamcunq; uellet Gentem, maiorum suorum exemplo, ne domi marcescentes à progenitorum suorũ gloria degenerarent. Hæc Rex ad Imperatorem referens, ait sibi gentis suæ ferociam sic notam esse, ut non sint quie- turi domi, nisi promittatur eis bellica aliqua expeditio.

Zeno per- suadet Theo derico irru- ptionem in Italiam.

Zeno super his cõsultationem cum Senatu suo iniens, & sibi suisq; prouincijs ab impetu & irruptione Ostrogo- thorum, tanquam uiciniorum barbarorum, metuens, per- suasit Theoderico Regi, nullam expeditionẽ ei uel ad glo- riam uel ad publicam utilitatem commodiorem fore, q; si suos in Italiam educat, ubi et prima esset sedes Ro. Imperij, & terra omnium rerum abundantia præpolleret. Populus uero Italiæ, qui breui tempore tam multos infœlices imbel lesq; & inglorios habuerant Imperatores, dubia fide pare- re nunc barbaro & alienigenæ Herulorum duci, Quos fa- cile possit habere subiectos, si barbarum & nouum eorum

domi-

dominũ eijceret aut occideret. Habebat ex hac persuasione Imperator duplex commodum. Liberabatur enim sic & ab annuo, quod Gothis dabat stipendio, & à periculo belli, quod à feroci gente propinquis poterat Imperij prouincijs inferri. Et Italiæ nihilominus bene consulebat, probe cognoscens, quanto moderatior tractabiliorq; esset Theodericus (qui tanto tempore in Palatio inter Imperij proceres uersatus erat Constantinopoli, tum sub Leone adolescens & obses, tum sub ipso Zenone Rex iam factus & Patricius) quam esse credebatur Odoacer, qui nec ex Regia esset prosapia, nec in ullius Imperatoris aula fuisset conuersatus.

Imperator igitur in eam expeditionem à se Regem dimissurus, Sacro eum honestauit uelamine, quod erat tunc maximum concessionis à Principe Romano factæ stabilimentum. Quemadmodum Blondus & Sabellicus ex antiquis affirmant rerum scriptoribus. Nam & Paulus Diaconus idipsum refert, in hæc fane uerba. Italiam ei per Pragmaticam tribuens, Sacri etiam uelaminis dono confirmauit, Senatumque illi Populumque Romanum commendans. Addit præterea eundem consularibus ab eodem Imperatore sublimatum esse fascibus, quæ dignitas post Imperiale fastigium prima erat. Quod & Pomponius lætus affirmat, sic breuiter dicens. Theodericus Rex Ostrogothorum mire à Zenone diligebatur, ab eo factus Consul, Conlega Venantij. Quod & Cassiodorus in Chronico suo, In quo Consulum seriem enumerat, clare confirmat. Theodericus a Zenone Consul factus.

Hæc rationi & ueritati magis uidentur consentanea, quàm ea, quæ nõnulli referũt, nẽpe quod ipse Theodericus importunitatẽ & instantiã suæ gẽtis accusauerit Imperatori & petierit ab eo, ut sibi Italiã ac Romã pmitteret. Inde.n. futurũ Calũnia in Theodericũ

esse, ut aut Ostrogothi ab Herulis uicti deleantur; atq ita liberetur ab onere stipendij Imperator, aut uictores obtineant Italiam, deletisq Herulis Imperij hostibus; amici Imperio sine stipendijs existant. Quis uero credat, hunc regem tam infido, & alieno in gentem suam animo fuisse, ut uel accusauerit eam Imperatori; uel in id periculi eam adducere uoluerit, ut deleta ab hostibus, ab Imperatore stipendium amplius petere aut accipere non possit? Sed neq opus erat à Zenone Italiam petere, quam hostis habebat. Zeno autem habuit nunquam, neq ullus Regum aut Principum antea petierat ab Imperatore Constantinopolitano Italiæ aut Romę possessionem. Quandoquidem non à Constantinopoli, sed à Roma ius & dignitas Ro. Imperij rectius agnoscuntur.

Procopius de bello Gothico lib. 1.

Confirmant hanc meam sententiam uerba Procopij, Historici Græci, qui Theoderici temporibus uixit. Sic enim ait. Sed Imperator Zenon, qui optime pręsentia disponere callebat, Theodericum ut Italiam peteret, monet, ut Odoacro Tyranno in potestatem redacto, Hesperiæ Principatum sibi Gothisq pararet. Illi id longe plurimum conducturum affirmans, quam secum, ut Imperatore, inconsyderatius uelit armis decernere, ac tantum inire dubiæ belli fortunæ discrimen.

DE EXPEDITIONE *Ostrogothorum contra Odoacrem. Caput IIII.*

Difficilis in Italiam ex Moesia expeditio.

ANno igitur Dñicę Incarnationis CCCCLXXX. Rex Theodericus è Constantinopoli domum ad suos reuersus, iussit omnes Gothos ad Italicam sese pręparare expeditionem. Quæ profecto res merito potuisset fractis

& mollibus animis dura uideri. Regale enim Edictum nō solum uiros fortes & expeditos milites, uerum etiā mulieres & paruulos iussit educi é natali solo cum omni supellectile et domestica substantia, & quidem in terram longinquam, quæ hinc Alpium iugis, inde mari gemino, Adriatico scilicet atq; Tyrrheno undiq; septa, difficilem admittebat aditum, non solum, quod clausa & munita erat à rerū natura montibus & mari, uerum etiā quod bellicosa gens Herulorum sub fortissimo Duce Odoacre eam tenebat, et iter permultas prouincias intermedias nō foret pacatum. Quoniam Odoacer, qui iam resciuerat (forsitan ex Aula Zenonis aut à uicinis Barbaris præmonitus) Theodericū contra se parare bellum, Bulgaros ac Gepidas ad resistendum Ostrogothis sollicitabat.

Sed gens ferox & malis inuicta, tantum habuit fiduciæ tum in dextris suis; tum in Regis sui uirtute & alacritate, ut certam sibi polliceretur de quibuslibet hostibus uictoriam. Vnde factum est, ut neminem ex uniuersis (quod dictu mirum est) Gothis neq; patriæ amor aut dulcedo retinere, neq; periculorū magnitudo deterrere potuerit, quanquamuis fertile esset solum & Mœsiæ & Pannoniæ, atq; etiā quieta & pacifica omnium rerum possessio, et certū quotannis ab Imperatore Constantinopolitano stipendium. Alacritas et fiducia Ostrogothorum.

Certe neq; stultus neq; insanus erat rex Theodericus, ut non intelligeret aut non secum perpenderet, quātum laboris aut periculi ea expeditione aditurus esset, ac quàm uberes atq; pacatas terras ultro relinqueret, Quem iam pridem ante annos Quatuor Consulem Zeno propter prudentiā & animi uirtutem Constantinopoli fecerat, sed tam fortis ac magnanimus erat, ut existimaret, se à maiorū suorum uirtute degenerare, si ullo frangeretur aut emollesceret animus ei⁹ uel laboris tædio uel periculi metu, iuxta illud Poëtæ Magnanimus Rex Theode.

 tæ

ſte. Degeneres animos timor arguit. Valde quidem fortes ac magnanimi Reges fuerunt, Cyrus Perſarum & Alexā der Macedonum, Neuter tamen tam difficilem expeditionem unquam ſuſcepit. Profecti quidem ſunt ambo magnis cum exercitibus in longinquas terras atq; etiam contra potentes & bellicoſas gentes, ſed minime adduxerunt ſecum talia ac tanta impedimenta, qualia et quanta ſecum adduxit Rex Theodericus.

Qualia & quāta ſecū in exercitu adduxit Impedimenta Rex Theo.

Alij exercituum Duces inter impedimenta referunt lixas atq; Calones & oneraria Iumēta, quibus nihilominus ad multa diuerſorum laborum munia utuntur. At dux iſte noſter inter ſui exercitus impedimenta habuit innumerā imbellis multitudinis turbam, ſenes, paruulos, mulieres, uirgines. Quibus ad militares labores nemo commode aut honeſte uti poterat. Oues inſuper & boues non ſolum in cibum militum, ſed etiam in lactis alimoniam pro paruulis. Domeſticam præterea ſupellectilem, quæ ad uſum armorum nihil ualebat. Merito igitur difficillima iudicari poteſt iſta Regis Theoderici expeditio.

Exitus filiorū Iſrael de Aegypto.

Plures quidem mortales ex Aegypto eduxit Moyſes, propheta Dei, ſed fecit hoc iuſſu ipſius Dei, magnis confirmatus ad hoc faciendū miraculis, et eduxit nō liberos & florentes, ſed grauiſſima preſſos ſeruitute & oībus Aegyptiorū uexationibus afflictos, Multis prͤterea in profectione releuatus Dei conſolationibus & præſidijs, mari ſiccū iter prͤbente fugiētibus & hoſtes ad unū oēs dimergente, cœlo commeatum præſtante, & uiam oſtendente nunc per nubis interdiu, nūc per ignis columnam in nocte. Rex autem Theodericus eduxit ſuos, non Dei aut ullius prophetæ, ſed ferocis dumtaxat & pericula contemnentis populi iuſſu, nec alijs ſiſus uel præſidijs uel auxilijs, quam ſuorum

dextris

dextris & uirtuti suæ. Nec puto breuiorem esse distantiam Moesiæ ab Italia, quam est Aegypti a Iudæa.

Probino itaque & Eusebio Consulibus, egressus cum tota gente sua Rex Theodericus e patria, mox occurrentes reperit hostes, eosque minime fugaces aut imbelles, qui conabantur iter eius, siue per inuidiam, siue in Odoacris gratiam prohibere. Primum quidem Rex Gepidarum (quem Blondus & Sabellicus Strapiliam, Paulus Diaconus Trasillam uocat) successor Arderici Regis: qui Gepidas a filiorum Attilæ subiectione in libertatē prælijs asseruerat, sicut Ostrogothos Valamir Patruus & Theodemirus pater Theoderici: subito ex insidijs Theodericum adortus, magnam utique stragem fecisset, nisi præsenti & intrepido ad quæuis pericula animo se mox opposuisset Rex Theodericus, qui sic repressit illius impetum, ut non solum retrocedere coegerit, sed etiam extinxerit ipsum, sicut affirmat Paulus Diaconus. Prima uictoria de rege Gepidarum.

Deinde irruerunt in eum Danubij accolæ Bulgari, gens ferox & barbara, cum rege suo Busari, quem Paulus Diaconus Busam uocat, quos non absque cruentis a se repulit prælijs. Cumque post multos labores & ærumnas longi itineris, per terras alienas & impacatas, atque post multa præliorum pericula, tanta cum multitudine gentis suæ (cuius numerosior pars imbelles erant senes, pueri, & paruuli, atque altera pars humani generis sexus muliebris) quæ non leues in quotidianum uictum & commeatum atque in pabulum pro iumentis, armentis & pecoribus sumptus requirebat, ad mare Ionium (quod ego sinum Adriaticum hic intellexerim) tandem peruenisset, ut asserit Procopius, nullas ibi paratas ad traijciendum exercitum, naues reperire potuit. Secunda de Bulgaris.

Necessa-

Necessarium igitur fuit, circuire Ionicũ sinum per Talantiorum (ut uocat Procopius) aliarumq; finitimarũ nationum agrum, usq; ad Sontium flumen, quod non longe ab Aquilegia (ut ait P. Diac.) labitur. Quo cum peruenisset, castra ibi metatus est, ut uberrimis, quę eo in loco habẽtur, pascuis, fatigata ex itineris longitudine iumenta reficeret.

Bellicosus Rex Odoacer. Cum autem Odoacer interim totũ Theoderici iter exploratum haberet, collectis undiq; ex tota Italia uiribus, ad Sontium illi occurrit. Nequis autem existimet, inualidum aut contemptibilem fuisse hostem Odoacrem, qui facilę superari potuerit, operæprecium esse uidetur, referre hic ex aliorum testimonijs, quis qualis & quantus uir ille fuerit. Procopius de hoc ab aliorum sententia diuersus est, Ait eũ fuisse Orestis quondam armigerũ, qui Gothis omnia pro ipsorum arbitrio executurum se obtulerit, si eum Romanorum Principem constituerent. Sed magis placet aliorum mihi sententia, qui fere omnes unó consensu affirmant, eũ Herulorum & Turcilingorum ducem fuisse. Cassiodorus in libello de Consulibus sic habet: Basilisco II. & Armato C O S S. ab Odonacre Orestes & frater eius Paulus extincti sunt, nomenq; Regis Odonacer adsumpsit, Cũ tamen nec purpura, nec regalibus uteretur insignibus. Plura de hoc refert Paulus Diaconus, In hęc uerba. Hęc dum apud Romanos geruntur, Odoacer cum fortissima Herulorum multitudine, fretus insuper Turcilingorum siue Scyrorũ auxilijs, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit.

Verba Seuerini solita rẽ ad Odoacrem in Norico. Qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Seuerini famã Christi Domini serui, Qui illis tunc degebat in locis, ad eum, ut sibi benedictionem petiturus accessit. Qui dũ benedictione percepta, ab eius egredi cellula uellet, & caput, ne superliminari hostij, eo quod

procerae

procerae esset staturae, allideret, inclinasset, à Dei uiro futurorũ praescio, mox talia audiuit. Vade nunc ad Italiam, uade Odoacer, uilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus. Haec ille uerba rerum exitu comprobauit. Nam aliquantis postmodum annis, totius Italiae, Insuper & urbis usus est potestate.

Ingresso itaq; Italiam Odoacre, statim ei apud Liguriae terminos, Orestes patricius occurrit, qui aduersus fortissimam multitudinem, nihil se praeualere conspiciens, maxime cum eum iam quidam suorum deseruissent, metu trepidus intra Ticinum se munitionis fiducia cõclusit. Mox adueniens cum exercitu Odoacer, expugnatã fortiter ingreditur ciuitatem. Vastantur uniuersa rapinis, saeuit ubiq; gladius, Diuina quoq; priuataque aedificia ignis absumit. Captus demum Orestes ab hostibus, Placentiam usq; perducitur, ibiq; gladio detrũcatur. Exinde per uniuersas ijdẽ Barbari urbes diffusi, cũctam sine aliqua tarditate Italiam iuri proprio subdidere, multasq; tunc ciuitates parantes resistere, extinctis habitatoribus ad solũ usq; deiecere. Odoacer itaq; prosperos sibi cernens successus accrescere, statim Regiam arripuit potestatem. Haec Diaconus. Hermannus uero Contractus breuius atq; etiã luculentius in Chronico suo sic ait. Odoacer Rex Turtilingorum & Rugorũ cum multis Barbarorum auxilijs Italiam ueniens, Orestẽ & Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnauit, et Romã obtinuit, anno à cõditione ei⁹ M,CC,XXIX.

Victoria Odoacris de Oreste.

Fit & in Gratiani decretis magnifica de ipso mẽtio, quę ex Concilio Symmachi Papę recitatur, In hęc uerba. Cum in Mausoleo, quod est apud B. Paulum Apostolum, resideret sublimis et eminẽtissimus uir, Pręfectus pretorio atq; Patricius, agens etiam uices Pręcellẽtissimi Regis Odoacris, Basilius dixit. Quanquam studij uestri & religionis

In Decretis dist. 96. cap. Bene.

Dd interſit

intersit, ut in Episcopatus electione cõcordia principaliter seruetur Ecclesiæ. Ne tamen per electionis occasionẽ, status ciuitatis reuocetur in dubiũ, ammonitione Beatissimi uiri, Papæ nostri, Symmachi Simplicij, quem ante oculos semper habere debemus, hoc nobis sub obtestatione meministis fuisse mandatum, Vt propter illum strepitum, & Venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra cõsultatione, cuiuslibet celebretur electio. Hęc ibi. Ex quibus cognoscere licet, sub Odoacre quoque antiquam Reipub. formam nõ penitus extinctam aut in barbariẽ demutatam fuisse. Nomẽ autẽ Symmachus, hic duobus Pontificibus datur. Vni ex his, nempe Simplicio, agnomen est, qui & prior sedit in Episcopatu: alteri proprium est nomen, qui postea sub rege Theoderico, Odoacre iam occiso, factus fuit Pontifex.

Otto Frisingẽ. li. 4. c. 30

Anno aũt primo Simplicij obtinuit Italię regnũ Odoacer, De quo et Otto Frisingẽsis Episcopus eadẽ fere refert, quæ Paulus Diaconus, Cuius tamen hæc uerba superaddere hic libet. Odoacer, inquit, natione Rhugus, ex ultimis Pannoniæ finibus, cum Scyris, Turcelingis, Herulis ad inuasionem Italiæ procinctum mouet. Cæterum Venerabilis Beda in suo de temporibus libro, Procopium secutus, dicit Odoacrem Gothum fuisse, addit autem nonnulla, in quibus non solum à reliquis supradictis authoribus, uerum etiã à Procopio dissentire uidetur, Sic enim habet. Odoacer Rex Gothorum, Romam obtinuit, quam ex eo tempore diutius eorum reges tenuere. Mortuo Theoderico Triarij filio, alius Theodericus, cognomẽto Valamer, Gothorũ suscepit regnũ, qui utramq; Macedoniam Thessaloniamq; depopulatus est, & plurima regiæ Ciuitatis loca igne succendens, Italiam quoque infestus occupauit. Hæc Beda.

Beda duos cõmemorat Theodericos.

Cui in

Cui in hoc, quod Duos ponit Theodericos, consentit Pau. Diaconus, qui utrunque in Italiam uenisse testatur. De priore enim sic habet. Haud procul ab his tēporibus (hoc est Nepotis & Augustuli) Theodericus cognomēto Strabo, Triaci filius, cum magna Ostrogothorum multitudine, usque ad Quartum Vrbis miliariū armatus aduenit, nulli tamen Romanorum noxius, cōtinuoque ad Illyricum reuersus, extinctus est. De posteriore autē (de quo nos hic agimus) multa refert, sicut & alij plærique historici, E quibus tamen nullū scio ea de hoc Theoderico nostro scribere, quæ Beda scripsit, nempe quod Macedoniā Thessaliamque & regiæ urbis loca depopulatus fuerit.

Cæterum Odoacrem fuisse uirū fortem & bello strenuum, res gestę plane demonstrant, quas hic ex Antonio Sabellico recitare libet, quātum satis est. Obiecit (inquit) Augustulus Odoacri uenienti Orestem patrem suum cū exercitu. Is cum Romanis Legionibus & accuratissimo Italiæ delectu, circa Laudam Pompeij, in Barbarorum conspectu fecit castra. Inde ad pugnam prouocatus, cum aciem instrueret, subita Italorum defectione prẹlio abstinuit. Prẹsentibus itaque uiribus diffisus, cum Romanis Legionibus Ticinum contendit. Hic barbarus abeuntem assecutus in urbem compellit, compulsum obsidione fatigat. Inde Ticinum ui captum diripit & incendit, Cæduntur Romanæ Legiones, estque tantū uno loco Romani cruoris fusum, quantū non alibi iā inde, ex quo Romanū inclinare cœpit Imperiū. Odoacer Orestem Placentiā perductū, spectante exercitu propria manu interfecit. Et infra.

Res gestæ Odoacris.

Herulus, ait, post Ticinēsem uictoriā Italia magis dedita quam ui capta Romā petijt, frequēs ciuitas processit illi obuiā, regēque salutauit. Per faustas inde acclamatioēs & honores exquisitissimos Capitoliū ascēdit, tenuit inquit Odoacer ānos. 14.

Odoacer Romę honorifice susceptus.

Dd ij Italiam

Italiam satis pacate, cessitque interim Regi & Herulis ex annuis prouētibus pars Tertia frugum omnium, adeoque per hæc uetus illa Romanorum Italicique nominis indoles concidit, ut Odoacer ab Herulis, qui in patrio solo remanserant, accersitus, quod à Felteo Rugorū rege Danubij accola, perpetuo incesserētur bello, nihil de urbe Roma aut Italia sollicitus, exercitum dux erit in Felteum, hosteque interfecto, tam ociose sit in Italiam reuersus, quam olim Romani Duces clarissimam aliquā uictoriam adepti cōsueuere. Hæc Sabellicus. Addit Palmerius in Chronicis suis, cum maxima cum præda atque ingenti captiuorū numero in Italiam rediisse. Cassiodorus insuper ait, eum sub Consulatu Placidi, in Dalmatijs Odiuam (Contractus Odiciam uocat) uicisse ac peremisse. Quod factū esse affirmat in Quinto eius in Italia regno. Idem uerò Cōtractus addit, Odoacrem, Phœbam regem Rugorum uicisse atque cepisse.

DE CONFLICTIBVS Theoderici cum Odoacre. Cap. V.

NOn paruo igitur periculo nec modico labore uicit tā bellicosum & potentem Regem in regno ipsius rex Theodericus, cum quo toties & tam cruentis prælijs confligēdum fuit. Quatuor enim prælia enumerat breuiter in supradicto de Consulibus libello Cassiodorus, In hęc sane uerba. Probino & Eusebio Consulibus, fœlicissimus atque fortissimus D. N. Rex Theodericus intrauit Italiam, cui Odonacer ad Sontium pugnam parans, uictus cum tota gente, fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veronæ uincitur Odonacer. Altero autem anno, Fausto Consule, ad Ducam fluuium Odonacrem D. N. Theodericus Rex

Breuis Præliorū cū Odoacre commissorū Catalogus ex Cassiodoro

Rex tercio certamine superauit, qui Rauennam fugiens, obsidetur inclusus. Dehinc Olybrio iuniore Cōsule, Odonacer cum Herulis egressus Rauēnam, nocturnis horis ad pōtem Candidium à D. N. rege Theoderico memorabili certamine superatur. Tunc etiam Vandali, pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita depredatione cessarunt. Eodē anno Zeno occubuit, cui Anastasius in Oriētali successit Imperio, Anastasio autē Aug. & Rufo C O S S. durauit adhuc obsidio. Demum Albino Consule, D. N. rex Thedericus Rauennam ingressus, Odonacrem, molientē sibi insidias interemit.

Hæc fusius refert Blondus forliuiensis in prima historiarum suarum Decade, In hunc modum. Ingressus Italiā Theodericus ad Sontium Aquileiæ dirutę fluuium, castra communiuit. Eo Odoacer, qui omnes eius motus, anno ante, habuerat exploratos, paratissimū adducens exercitū, sese illi tam propinquus opposuit, ut castra solo amnis alueo sint dirempta. Primus tamen pugnandi copiam fecit Theodericus, & commissum est præliū, In quo post multam cædē, mutuo illatam, superauit Ostrogothus. Odoacer uero ad Padū, cuius uada oppidaq; classe et pręsidijs cōmuniuerat, delatus, eo in loco, ubi nunc est Ostilia Veronēsium, de fuga substitit. Destitit uero insequi Theodericus, & Veronam ducens, eam dedentibus ciuibus, breui cepit. In qua præsidijs firmata, prædam ubiq; factam, impedimētaq; ea ratione constituerat deponere, ut Odoacrem, quocunq; fugeret, expeditior sequeretur. Blondus lib. 4. Primū pręliū apud Sontiū flu.

Sed Odoacer, copijs breui reparatis, in campos processit latissimos, Veronæ subiectos, & copia pugnandi facta, Theodericum lacessiuit. Eduxit item Theodericus, fiducia plenus, & prælio acri Duces fortissimi dimicauerunt. Tamen Odoacer, qui lacessiuerat, ab auxilijs Italorū Secundum apud Veronam.

Padi accolarum desertus, succubuit, atque etiam fugatus, maiorem eorum, qui secum in pugna perseuerauerãt, partem amisit. Inde Romam petens Odoacer, cum portas occlusas, ciuesq; de mœnibus repugnare uidisset, suburbiorũ ædificia, agrumque latissimis fœdauit incendijs. Romani namq; de Theoderici aduentu, ex Constantinopoli certiores facti, ipsum iam ut Dominum expectabant.

Retardatus uictoriæ cursus.

Qui quidem Theodericus omnibus Italię transpadanę ciuitatibus oppidisq; breui potitus, Mediolani constitit, & exercitu auxilijs aucto, Romam in Odoacrem ducere cõstituerat. Odoacer, cum cõmeatibus, quos Romani in urbem munitaq; oppida conuexerant, deficientibus, Rauennam se contulit. Ei tamen Odoacri populos Italiæ pertentanti, consenserunt plurimi. In quibus fuere signorum suorum apud Ostiliam desertores Padi accolæ, à Tufa Flaminiæ et Aemyliæ Præfecto, magnæ autoritatis uiro, in spem maximam pręmiorum, si uicisset Odoacer, adducti. Id cum exploratum habuisset Theodericus, cursu uictoriæ retardato, sese intra Ticinum communiuit. Et post pauca.

Pręlia in obsidione Rauennæ.

At Theodericus Ostrogothorum rex, postquam Odoacrem, sese Rauennæ uidit continere, animis est auctus, & matre sororibusque ac Ostrogothorum mulieribus, cũ impedimentis & imbelli multitudine, in Ticino, cuius urbis mœnia arcẽq; cõmuniuerat, relictis, Rauennã exercitũ duxit. Cepit autem ilico omnes prouinciæ ciuitates oppidaque, quam primum ea adijt, præter Ariminum & Cesenam. Odoacrem uero in Rauenna per Triennium obsedit, castris secundum littus ad orientalem plagam, in loco (cui Candiano est nunc, eratque tunc nomen) ea ratione firmatis, quod postea pariter ad Cesenam castra inde faciliter tutaretur. Fiebant tamen ab obsessis crebræ eruptio-

neq

nes. Quod namque sumpsimus ex Agnello in uita Iohannis Episcopi Rauennatis. Theodericus Odoacrem iusta acie congredi ausum, in patentibus Candiani campis, bis praelio superauit.

Qua elatus uictoria Theodericus, illico Ariminum accessit, eaque urbe breui potitus, Dromones in Ariminensi portu captos, misit ad Rauennatem portum, Bidentis amnis, qui tunc Portellio dicebatur. Nam apud Classem urbem tunc erat maior portus, omnium Italiae celeberrimus. Sunt autem Dromones uerbo Graeco nauiculae subductiores, tabulatis undique ad propugnaculi castelliue speciem communitae. Itaque Theodericus Portellionis ostio Dromonibus clauso, partem copiarum in Insulam, quam Bidens amnis, Padusaque, Padus & Mare efficiunt, locauit. Ipse cum caetero exercitu Rauennam in circuitu obsedit. Vnde ad tantam rerum penuriam in Vrbe est deuentum, ut sordidas malignique saporis herbas, clausi comedere cogerentur. Qua impulsus difficultate, Odoacer, hortante Episcopo, deditionem fecit.

Portus occupatio.

Ingressus est autem Rauennam Theodericus, Episcopo Iohanne cum Clero & Sanctorum reliquijs, obuiam procedente. Continuitque se Odoacer ea die & postea in Palatio (quod dicebatur Hilautium) Rauennae tunc insigne, sperans quod cum Theoderico solenni foedere pactus erat, aliquam Italiae particulam, sibi & Herulis attribui possidendam. Sed Theodericus missis, qui illum & filium Adolescentem, primoresque gentis interficerent, Herulorum plebem conseruauit. Breui exinde omni Italia & post Roma; Theodericus summo Senatus & Populi Romani applausu, est potitus. Haec Blondus.

Ingressus Theoderici Regis in Rauennam.

De secundo autem praelio, quod prope Veronam factu est

Verba Pauli Diaconi.

est, aliquanto plenius scribit Paulus Diaconus, In hæc uer ba: Exinde Theodericus moues; cum Veronam uenisset, iterum aduersus eũ Odoacer non minori quã prius belli sese apparatu opponit. Contra quem Theodericus, haud procul Veronensi urbe confligens, nimia eius exercitum cęde contriuit, Ipsumq; pariter, & omnem illius multitudinem dare terga coegit. Qui dũ fugę metu se pręcipites in Athesim fluuiũ mergunt, ex magna parte rapidissimis eius gurgitibus impliciti, suffocantur. Theodericus uero, dum ipso impetu subsequitur fugientes, Veronam ilico, pauore ciuibus consternatis, inuadit.

Verba Sabellici. Præterea Sabellicus Rauennæ obsidionem aliquanto explicatius describit in hunc modũ. Ea re (inquit) Ostrogothus audacior factus, impedimentis cum imbelli multitudine ad Ticinum relictis (Communiuerat enim arcem Theodericus & urbem ipsam, cum mœnibus, tum ualido præsidio) cum robore copiarũ Rauennã profectus, Odoacrem triennio obsedit, estq; bis interim iusta acie certatum, atq; utroq; prælio Odoacer uictus, reductusq; ad extremã rerum inopiam, se & urbẽ Theoderico tradidit, incolumitatem pactus cum porcione aliqua Italiæ, sibi suisq; popularibus assignãda. Estq; fœdus inter reges ictũ, quod Theodericus irritum habuit. Nam haud multo post quam Rauenna potitus est, Odoacer cum filio & primoribus gẽtis, per speciem rixę cum Ostrogothis motę, Theoderici iussu interfectus est. Vereri credo Ostrogothus, nequid Odoacris nomen futuræ quieti officeret, Herulorum gentem circa Augustam pretoriam sub Alpibus, dato illis regulo, collocauit. Omnis Italia post Odoacris cædem, Theoderici Imperio cessit. Hæc Sabellicus.

Verba Procopij. Procopius quoq; eiusdem obsidionis deditionisq; mentionẽ facit, cuius uerba nõ uidentur hic omittenda. Theodericus

dericus (inquit) in Rauennæ obsidione, cum annum iam Tertium contriuisset, Gothique ipsi diutius hanc obsidendo, tędio ac molestia afficerentur, et Odoacris insuper milites necessariarum rerum urgerentur inopia, Conuentum adinuicem est, Rauennę Antistitis interuentu, & pacificantis, Theodericus Odoacerque æqua ac simili sorte ea in urbe uiuerent, pariterque potirentur imperio. Quibus conuentionibus aliquamdiu utrinq; seruatis, Theodericus per causam q; in se machinatus insidias esset, Odoacrem ad epulas fraudulenter uocatum, cum occidisset, barbaris sibi et hosti bus conciliatis qui reliqui fuerunt, Gothorum solus et Italicensium imperium tenuit. Romani tamen imperatoris nec insignia quidem nec nomen sibi desumpsit, sed quo ad uixit, rex est appellatus. Quo nomine, suas Barbari nuncupant duces.

Ex his facile perpendet prudens lector, quantis laboribus, ęrumnis, curis, periculis, sumptibus, quontoque suorũ cruore Italiæ regnum obtinuerit, Odoacrique eripuerit rex Theodericus, qui toties in suorum conspectu, de summa rerum, & de omnium suorum salute discrimen subijt grauissimum ac uere Martium, non leuius sane quam subijt olim aduersus Romanos in Italia Hannibal Pœnus, bella tot ille decantatissimus. Quod si rem utrinque propius inspicias, et æqua lance expendas, poterit nimirum magis mangnanimus atq; inuictus uideri Theodericus quam Hannibal. Hic n. non semper uicit ut ille, nec tanta pietatis erga parentes liberosq; et uniuersam gentis suæ cognationẽ cura pectus inter pugnandum pręgrauatum habuit hic, quanta ille, Hannibal n. neque talia secum in Italiam adduxit impedimenta, qualia Theodericus, neque tanto indiguit sumptu et cõmeatu quotidiano pro tanta omnis generis sexus et ætatis hominum multitudine, quanto habuit opus Theodericus, qui et pug-

Hãnibalis et Theoderici comparatio.

Ee nare

nare et commeatum præparare cogebatur, non solum pro mi
litibus, sicut Hannibal, uerũ etiã pro imbelli suorũ turba pro
pemodum infinita, pro tot mulieribus, uirginibusq;, quarũ
uita pudorq; ab unius Ducis inuicta mente dextraque pen-
debat, et pro tot senibus paruulisque, qui pugnantis exerci-
tus animos angebant, ac pia propinquitatis cura grauabãt.

Magnitudo expensarũ in bello Theo. cõtra Odoacrem.

Præterea longe facilius poterat Hannibal pecuniam (quæ neruus belli dicitur) ex opulentissima Republica Carthagi-
nensi (cuius inexhaustũ erat ærarium) recipere atq; etiam ex socijs ciuitatibus corrogare, quam potuit Theodericus, qui relicta patria omnibus rebus euacuata, neque à barbaris uicinis, cũ quibus bella gesserat, neque ab Italis, quibus om-
nibus dominabatur hostis, ullã petere, ne sperare quidẽ pote rat pecuniam, Quis ergo regum hodie tot annis pro tam numerosa multitudine in Italię finibus sumptus atque com-
meatum suppeditare posset, atque etiam in Triennalem ob-
sidionem pecuniam machinasque sufficere, nisi patriam in-
tolerabilibus prægrauaret exactionibus? Quanta n. aureorũ Milia requiruntur in annuos sumptus pro exercitu XXX. Miliũ? At sustentauit Rex Theodericus in exercitu suo plus quam CC. aut CCC. buccarum (ut Itali loquuntur) Milia, nõ uno tantũ anno sed ultra quatuor annos perpetuo, anteq; hostem peruinceret ac debellaret.

The. in bellicis laudibus non minor Hannibale.

Mihi igitur (saluo prudentiorum semper iuditio) nihilo minor Hannibale in bellicis laudibus uidetur Theodericus iste existimandus, qui cæterein reliquis et corporis et animi do tibus atque uirtutibus Hannibale longe laudabilior uere iudi cari potest. Etenim Titus Liuius eleganter Hannibalis bellicas commemorat uirtutes, quas et de Theoderico uere affir-
mare possumus, nempe q; plurimum audatiæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat, q; nullo labore aut corpus fatigari aut animus uinci poterat, q;

caloris

caloris ac frigoris patientia par, ꝙ cibi potionisque desyderio naturali, non uoluptate, modus finitus, ꝙ uigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora, id quod gerendis rebus supperasset quieti datum, ea neque molli strato neque silentio accersita, ꝙ multi sæpe militari sagulo opertum, humi iacentem inter custodias stationesque militum cōspexerunt, ꝙ uestitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur, ꝙ equitum peditumque idem longe primus erat, quæ princeps prelium inibat, ultimus conserto prælio excedebat.

Cæterum uitia, quæ deinceps de Hannibale subiungit idē Liuius, de Theoderico uere subiungere non possumus. Ait ergo Liuius. Has tantas uiri uirtutes ingentia uitia equabāt, inhumana crudelitas, perfidia plusquam punica, nihil ueri, nihil sancti, nullius Dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Nos certe ex unius Cassiodori epistolis plurimarum Theoderici uirtutū exempla præclaraque facta colligere possumus, quibus nihil horum uitiorū, quæ Liuius Hannibali tribuit, admixtum fuit.

Minor in uitiis Hannibale, Theo.

Sed hic, breuitatis gratia, sufficiat indicasse, quanto clemētior in uictos fuerit Theodericus quam Hannibal, Hic satie post uictoriā captiuos Romanos coegit (ut Plinius refert) dimicare inter se. Et unum, qui supererat, obiecit Elephanto, pactus illum dimitti, si bestiam interemisset. Vbi autem ille solus in harena congressus, Elephātum magno pœnorum dolore confecit, Hannibal equites misit, qui abeuntem interficerent, Crudele nimirum fuit, adigere captiuos ad inuitã inuicem Homicidia et in cedem mutuam, Crudelius, cogere unum hominem cum tam grandi belua pugnare, Crudelissimum uero, pactum perfide uiolare, et uictorem tam insignem per equites interficere. Theodericus uero, etsi ab omnibus fere historicis & Chronographis fraudis arguitur, ꝙ

Crudelitas Hannibalis in uictos.

Plinius libi 8. c. 7.

Clementia Theo. in uictos.

Ee ij Odoacrem

Odoacrem iussit interfici post initam inter ipsos concordiā, in reliquos tamen uictos perhumanus et clemens fuisse dinoscitur, Nam & Herulorum genti, constituto eis regulo (ut ait Sabellicus) seu Rege potius (ut alij scribunt) dedit Italiæ partem circa Augustam pretoriam sub Alpibus, et Italorū captiuos, quos Burgundionum rex Gundebaldus, subita irruptione trascensis Alpibus in prędam abduxerat, per Epiphanium, Episcopum Ticinensem, data ex fisco suo pecunia seu magno (ut scribit Sabellicus) auri pondere redimi curauit. Quorū sane permagnam fuisse multitudinem, uel inde conuincitur, ꝙ Blandus ex Agnello refert, Epiphanium in Burgundiam à Theoderico cum ingenti pecuniarum ui ex publico fisco largitarum missum, multa mortalium milia redemisse, & in patriam reduxisse, suę insuper sanctitatis meritis & singulari prudentia obtinuisse adhuc sex milia captiuorum à rege Burgundionum, quos in gratiam eius liberos dimiserit gratis absque ullo redemptionis precio.

Interfectio Odoacris an excusari queat.

Quod autem Odoacrem facta pace, unà cum filio adolescēte et aliquot proceribus interfici curauit Theodericus, nō laudauerim equidem. Sunt tamen qui factum excusant, ꝙ prior insidias molitus fuerit Odoacer, sicut asserūt Cassiodorus et Contractus, in suis Chronicis, & Sabellicus nō odio aut crudelitate sed prouidentia quadam factum existimat, eo ꝙ ueritus fuerit Theodericus, ne quid Odoacris nomen futurę quieti officeret. Non est n. uerisimile, diu pacem perduraturam fuisse inter duos tam strenuos fortesque Reges in unius et eiusdem regni administratione. Haud n. falso ait

Ouidius.

Ouidius. Non bene conueniunt, nec in una sede morantur Maiestas & amor. Et natura rerum docet nos, in uno regno nō congruere duos reges, sicut in apibus manifestū est. Quēadmodum & Aristoteles in Mataphysicis concludit. Quoniam nolint entia male gubernari. Pluralitas autē principū

mala

mala est, sit igitur (inquit) Vnus princeps. Scimus & illud Lucani. Lucanus

Nulla fides regni socijs, omnisque potestas.
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Si ergo duo fratres gemelli, Romulus & Remus, non potuerunt diu simul regnare, Quis miretur, hos duos reges, qui tam diuersi natione, et nulla inter se cognatione aut affinitate coniuncti erant, non potuisse diu in uno consistere regno, p quo tā cruēta et crebra inter sese pręlia recenter cōmiserāt?

Quandoquidem in sacris quoque literis insigne referatur exemplum de duobus fratribus, Iacob & Esau, gemellis Rebeccę (sicut Romulus et Remus Rheę) qui ne in utero quidē matris suę, pacē habuerūt inter sese, sicut elegāter explicat in homelia Chrysostomus. De quibus et propheta Malachias et Paulus Apostolus sublimem attingunt, supra humani ingenij captum, disputationem. Malach. 1. Ro. 9.

DE SALVTARI AC MODERATA Regni administratione. Cap. VI.

SVblato itaque Odoacre, Theodericus magno cum omnium Italię populorum, tum praecipue Romanorum desyderio gaudioque uelut legitimus princeps est susceptus. Id quod omnes Historici, qui de eo scripserunt, attestantur, excepto uno, Ottone Episcopo frisingensi, Viro alioqui graui docto & pio, quem puto Zelo quodam fidei Catholicę, et indigna Boetij uiri Clarissimi morte commotum aduersus hūc regem, secta Arrianum & Boetij interfectorem fuisse, ut in

hęc proruperit doloris et cõmiserationis uerba. Vide (inqt) Rempub. miserabiliter labefactatam, Cerne populum illum sapientia ac Viribus quondam Orbis dominum, ad tantum deuenisse defectum, ut à barbarica Tyrannide conculcatus, grauique domino mancipatus, non nisi à barbaro liberari queat, Tyrannum subiecte ac gratanter suscipiat, ut alterius Tyranni dominationem effugiat. Itaque Theodericus Romanorum potius imperio, haud memor ab Augusto suscepti mandati, fasque nefasque barbarice cõmiscens, ac ciues diuersis iniurijs contumeliose afficiens, Imperium uertit in Tyrannidem. Cernens hoc Clarissimus Vir, Consularis Ordinis, Anitus M. Boetius, ac rationis intuitu animaduertens, dum Tyrannidi eius obuiare molitur, ab eo in exilium trusus, Papię in carcere ponitur. Hæc Otto ille, Cuius quidem iudiciũ de hoc rege nemo comprobabit, credo quisquis septem priores epistolarum libros Cassiodori legerit. Quod ad Boetij causam attinet, non potest hic cõmode tractari, quia esset contra rerum gestarum ordinẽ. Quandoquidem ille, in ultimo huius regis anno est occisus. Cum igitur Cassiodorus ubique aliam de hoc rege sententiam pronunciet, uir Consularis Catholicus & sanctus, ęquus lector utiq; potius Cassiodoro, testi oculari (ut dicitur) credit quam Ottoni huic, qui multis post sęculis audita retulit, suæ nixus cõiecturę iudicio.

Otto frisingensis lib. 5. c. 1.

Augustum hic Zenone Imperatore dicit.

Durũ Ottonis Frisingẽ. de The. iudicium.

Audiamus igitur, quid Procopius, autor Grecus et antiquus, Theoderici coetaneus, de ipso senserit. Is (inquit) Theodericus suis sic præerat subditis, ut omnibus ornamẽtis, quæ uero imperatori congruerẽt, se communiret. Nam et iusticię studuit plurimum, legibus firmiter obseruatis, & à circumiectis et finitimis barbaris Italię agros ad securitatem tutatus est. Quippe qui ad magnanimitatis & sapientię summum fastigium peruenisset, atq; adeo, ut in subiectos nec minimũ quippiam

Melius procopij de Theo. iudicium.

quippiam ad iniuriam exerceret, nec cuiq̃ sibi id forte insi-
nuanti assentiretur, præter id unum, ut Gothi agrum, quem
Odoacer suę dederat factionis hominibus, inter se partiren-
tur. Erat autem Theodericus fama quidem Tyrannus, re tñ
præse ueri specimẽ Imperatoris ferebat. Vt qui uel eorum qui
à principio ea in dignitate probatiores fuissent, nemini inferi
or fuerit, & Gothos idem ac Italos pari quadam ac summa
beneuolentia, suapte humanitate prosequebatur. Ita ut om-
nes (quod utique difficillimum est) eius imperium oblecta-
ret. In ciuilibus namque & publicis rebus tractandis, uaria ni
mirum sunt mortalium uota, & sępe id accidit, presens impe
rium his quidem & de improuiso ut placeat, quibus uolupta
ti sunt quę geruntur. Vel ut mœrore afficiantur, quibus ali-
ter longe ac sentiant, res ipsę procedunt, Hęc Procopius.

Fama, apud Gręcos sci-licet, qa na-tione barba-rus esset.

Extat præterea Epistola quędã Sidonij Apollinaris Auer
norũ in Gallia Episcopi, qui sicut hunc regem optime nouit
et presens uidit, ita dignior debet uideri testis, cui fides adhi-
beatur, quam alijs quibuslibet, qui tantum ex auditu aut ex
conjecturis de illo iudicant, Epistole igitur illius hic initium
dumtaxat, referre libet, quod sic habet. Sidonius Agricolę
suo Salutem. Sæpenumero postulauisti, ut quia Theoderici
regis Gothorum commendat populis fama ciuilitatem, lite-
ris tibi formę suæ quantitas, uitæ qualitas significaretur,
pareo libens, inquantum epistolaris pagina sinit, laudaturus
uitę tam dulcatæ sollicitius ingenuitatem. Ipse etenim est &
illis dignus agnosci qui eum minus familiariter intuentur.
Ita personam suam Deus arbiter & ratio naturę, consuma
tæ fœlicitatis dote sociata cumulauerunt. Mores autem hu-
iuscemodi, ut laudibus eorum nihil, ne regni quidem defrau
det inuidia. Hoc sane illius Epistolæ initium facile conuin-
cit, Ottonem illum magis ex zelo et affectu, quam ex ratio
ne & iuditio, tam diuersa de rege illo scripsisse. Quod tunc
manifestius

Epistola Si donij de re-ge Theo.

manifestius erit, ubi tota Sidonij perlecta fuerit epistola.

Historicorũ de Theo. iudicium.

Quod si testes isti antiqui & oculares uel de familaritate uel de adulatione suspecti cuipiam (quod tamen mihi æquũ non uidetur) habeantur, proferam & alios interim testes ex ipsa Italia, Paulum Diaconum, Blondum, Sabellicũ, Platynam, Paulum Aemylium Veronensem, qui quale huius regis in Italia Reipub. regimẽ fuerit, explicuerũt & contesti sunt, alter altero clarius & copiosius. Antiquior itaque ex ijs Pau. Diaconus, paucis ita refert. Theodericus extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italię adeptus est ditionem, nec multo post Romam profectus, à Romanis magno gaudio susceptus est. Quibus ille singulis Tritici ad subsidiũ annis XX. Milia modiorum concessit. Et post pauca. Theodericus interea, ut sui regni uires constabiliret, Audefredam Luodouici francorũ regis filiam sibi in matrimoniũ iunxit. Amalafredam, germanam suam Vuandalorum regi Honorico. Eius Amalefredę filiam Amalabergam Turingorum regi Hermenfredo. Theodicodã quoq; & Ostrogotham ex concubina filias, alteram Alarico Vuisigothorum regi, alterã Sigismundo Burgundionum consociauit. Amalasuinthã uero tertiam filiam Eutharico, ex Alemanorum stirpe uenienti, euocato ab Hispania, tradidit. Nec fuit aliqua uicina Italię gens, quæ Theoderico aut coniunctionis affinitate aut pactionis fœdere sociata non fuerit. Hæc ille.

Verba Pauli Diaconi.

Alemanos in genere, Gothos uocat, fuit n. iste ex Balthorum familia, In gothis pernobili.

Et longe post eum Flauius Blondus, ubi quam plurima Theoderici in urbem Romanam beneficia comemorasset, ita subiunxit. Simili item pietate usus est erga uniuersas Italię Vrbes, quod maxime ostendit Edictum adhuc extans. In quo ciues iubet toto anni tempore, præterquam tribus messium & autumni mensibus, ciuitates & oppida frequentare, obireque munera, quibus antea, quietissimis Reipub. temporibus, florere consueuerant. Non solum n. agrestes tunc, sed

Verba Blõdi de beneficijs Theo. erga Italiã.

honesto

sed honesto nati loco, motibus fatigati, quibus tam diu Italia agitata fuerat, rura incolebant. Papiæ & Modoeciæ (quę oppida post Rauēnam amauit) Palatia, Arimini S. Stephani, & Rauennæ S. Martini in cælo aureo Basilicas, Spoleti quoq; amplas ædes magno sumptu ædificauit. Sypontinā ciuitatem iam tum in ruinam uergentem, ut instauraretur, tributorum uacatione donauit. Apponi balnea, quæ ager Paduanus habet, muro concludi, ædesq; superædificari curauit. Quibus alijsq; bonis artibus præstans princeps effecit, ut per omnes regni sui años, excepto extremo, et Roma et Italia, Octauij Augusti, aut Traiani, Hadriani, uel melioris cuiuspiam principis tempora nam desyderauerint.

Et infra, prospexit etiam prudentissimus princeps Thedericus, externarum gentium, à quibus solis tunc sibi in Italiam timendum fuit irruptionibus, & Herulis post occisum Odoacrem conseruatis nouum regem constituit, cuius nomen non exprimit Cassiodorus, quem regem cum suis Herulis in extremis Italiæ partibus apud Augustam prætoriā & sub Alpibus Apenninoq; habitare permissum, ipse Thedericus in filium adoptauit. Et paulo post. Possedit uero & ex prisco Romanorum principum instituto administrauit Romani imperij occidentales prouintias, quæ à nullis dictarum barbararum gentium regibus (quos sibi affinitate coniunxerat) tenerentur. Nedum n. unq̃ cum Francis Burgundionibus, & Vuisigothis bella suscepit, sed eos aliosq; barbaros imperij oppressores, quo ad potuit, simul in pace continuit, missis Oratoribus cum epistolis, quæ extant ne aliq̃ inter eos nata dissensio, Cōstātinopolitanis Impera. Romanisq; uiam pateface ret ad iura imperij resumēda. Et rursus. Quin etiā Thedericus futuris prouidens temporibus, claustra Italiæ ab ipso Alpiū maritimarum initio, usq; ad Tridentinos montes attribuit Gothorum proceribus inhabitanda. Intra mitib.

Prudentia Theo. in firmanda Italiæ pace.

Hæc adoptio per arma facta est non ad regni successionem, ut infra patebit.

aũt, per quos ipse & cæteri barbari erãt ingressi, oppida exci-tauit, ciuitate, cui nunc Tridento est nomen, quod tunc erat muro cincta, & Veruca arce ad Norici & Italiæ fines, eo in loco, cui nunc Montifalconi est nomen, à fundamento ædi-ficata. Hæc & id genus multa Blondus, quæ omnia referre nimis longum foret.

Verba Sabellici de Theo.

Nec ijs dissimilia refert Sabellicus, stylo aliquanto elegantiore, è quibus pauca hic repetam. Ipse (inquit) Theodericus tam dextere mansuetéq; regnum administrare, Ciuitates et populos tractare, ut cũ Augusto principe Traianoue, aut alio ex ijs qui optimi principum iudicati sunt, merito cõferri potuerit. Adeo interdum uel in media barbaria, preclara proueniunt ingenia, ut in mitissimis etiam gentibus nonnũꝗ pessima. Enimuero tametsi Rauẽnæ ageret, Quod nõ tantum est ab eo factum, quia Romanorum ferociam horreret (ut tradunt quidam) desperaretq; posse fieri, ut Roma diu et regem & barbarum ferret, ꝗ ꝙ uidebat, nunꝗ fore, ut Gothis Romanisq; conueniret, quorum diuersi mores, diuersaq; sacra essent (Erant n. Gothi Arriani, Romæ Orthodoxę fidei tunc, ut hodie, uigebat cultus) ad tollendam omnem discordiæ materiam, uel quod alij scribunt, loci oportunitatẽ sequutus Rauẽnæ (quod satis cõstat) años fuit circiter XL. urbis administratione Senatui permissa. Hæc Sabellicus.

Cur Rauẽnæ potius ꝗ Romæ habitauit Theo.

Verba Pauli Aemylij.

Paulus Aemylius Veronensis, de rebus gestis Francorũ diffusæ ac preclare scribens, pauca de supra memoratis ex Pauli Diac. affinitatibus cõmemorat, quæ hic repetere libet, ꝙ aliquanto lucidiora uidentur, Theodericus (inquit) Ostrogothorum idem ac Italiæ rex, ex Hispania (ubi maxima ex parte sedes Visigothorum erant) Enthariçum, Regia Balthorum familia ortũ, ad se in spem hæreditatis Regniq; Italici accersiuit, eiq; filiam Amalasuintam despondit. Duæ reliquæ eius filiæ, altera Visigothorum regi Alarico, altera

Sigismundo

Sigismūdo Gundebaldi Burgundionis regis filio nupserat. Ipsi uero Theoderico regi Andefleda Clodonei regis soror despōsa fuerat, Clodoneo aūt Remis i baptismo Ludouicus nomē à S. Remigio inditū est. Hæc ideo repetiuerim, ut nō turbetur lector circa nomē uxoris Theoderici, quam diuersi mode scribunt. Vnus Andafledam, alius Audafredam, alius Andefledam: Vnus filiam, alius sororem Clodonei, quem à baptismo Ludouicum deinceps nominat Aemylius, eundem Cassiodorus in Epistolis Luduin uocat. Platynæ uerba hic repetere nihil est opus, nam & ab alijs sunt relata.

Aequabile imperium inter Gothos & Romanos.

Cæterum q̄ æquabile ac tēperatū fuerit Theoderici regimen inter Gothos & Romanos (uocat aūt omnes Italos cō muniter Romanos) ex ipsiusmet uerbis, quæ Cassio. refert, optime certissimeq; cognoscitur. Cum (inquit) Deo iuuante sciamus Gothos uobiscum habitare permixtos, Ne qua inter consortes (ut assolet) indisciplinatio nasceretur, necessariū duximus, illum sublimē uirū bonis nobis moribus hactenus cōprobatum, ad uos Comitem destinare, qui secundum Edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamē possit æquabili ratione distingere. Inter duos aut Romanos Romani audiāt, quos per prouincias dirigimus cognitores, ut unicuiq; sua iura seruentur, & sub diuersitate iudicū, una iusticia cōplectatur uniuersos. Sic pace communi utræq; nationes, diuinitate propicia, dulci ocio perfruantur. Scitote aūt, unam nobis in omnibus æquabiliter esse charitatem, sed ille se animo nostro amplius cōmendare poterit, qui leges moderata uoluntate dilexerit. Nō amamus aliquid inciuile, scelestam superbiam cum suis detestamur autoribus. Violentos nostra pietas execratur. In causa possint iura, nō brachia. Nam cur eligant quærere uiolenta, qui presentia probantur

Cassiod. li. 7. epist. 3.

Legum amor.

 habere

habere iuditia? Ideo n. emolumenta iudicibus damus. Ideo tot officia diuersis largitatibus continemus, ut inter uos non sinamus crescere quod possit ad odium pertinere. Vnum uos amplectatur uiuendi uotum, quibus unum esse constat imperium. Audiat uterque populus quid amamus. Romani uobis sicut sunt possessionibus uicini, ita sunt & charitate coniuncti. Vos aũt Romani magno studio diligere debetis, qui & in pace numerosos uobis populos faciunt, & uniuersam rempub. per bella defendunt. Itaque destinato à nobis iudici uos conuenit obedire, ut quicqd pro conseruandis legibus censuerit, modis omnibus impleatis, quatenus & nostro imperio & uestræ utilitati satisfecisse uideamini. Hæc fuit cõmunis formula (ut ait Cassiodorus) Comitiuæ Gothorum per singulas prouincias. Quid uero est in tota hac formula, quod iniquum aut Tyrannicum iure dici queat?

Amor inter Romanos & Gothos.

Sunt quidem aliqui, qui Theoderico in Tyrannidem imputant, quod Italos ab armorum usu abduxerit atque imbelles per hoc reddiderit, sed ab hac culpa poterit eum excusare priorũ ante se principum ignauia, qui populos Italiæ adeo imbelles reddiderãt, ut Odoacer alienigena & nouus rex adeo secure eis dominatus fuerit, & subseruitutis iugum mancipatos tenuerit, ut & in Dalmatiam et in Rugiam cum exercitu exire, & longinquum peragere bellum ausus fuerit, relicta interim iudicibus & officialibus suis tota Italia, nec ullus Italorum, eo sic absente cum exercitu suo, rebellare interim ausus fuerit.

Imbelles ante The. facti Itali.

Queruntur alij, quod Italis tertiam agrorum partem ademerit, suisque tradiderit Gothis. Non nego equidem factum, sed inique factũ fuisse nego. Tũ quod ante ipsum hoc fecerat Odoacer, sicut supra ex Procopio dictum est quod & Sabellicus refert, nempe quod regi & Herulis cesserit ex annuis prouentibus pars tertia frugum omnium. Quod ego sane grauius

putauerim

putauerim q̃ concedere tertiam partem agrorũ Gothis. Tũ q Italiæ regnum Theodericus, nõ Italorum, sed Gothorum maximo labore periculoq; & cruore comparatum obtinuerit, quod & per Gothorum arma perpetuo defenderit. Quæ est ergo iniquitas ibi q nõ totum (quod iure belli potuisset) nec dimidium totius agri, sed solam tertiam agrorum partẽ à uictis & defensis transtulit in uictores & perpetuos omniũ Incolarum & prouinciarum defensores?

Rectius igitur in beneficiũ adscribitur factum istud Theoderico à Blondo, qui in eius beneficiorum cõmemoratione inter cætera sic ait. Prohibuit aut edicto, & curam impendit attentiorem, ne quis Romanos aut paterna origine Italus, ne dum militaret, sed arma domi haberet. Saionibus (ut ipse appellauit) ex Ostrogotha gente per urbem regionesq; Italiæ constitutis, qui prefectorũ Centarionumq; uitæ fungentes, barbaros suos in pace & ocio, à ciuium & prouincialium iniuria prohiberent, educerentq; in turmas & Phalanges, cum belli aut tumultus ratio postularet, simili item pietate usus est erga uniuersas Italiæ urbes. Hæc Blondus, qui pietatem uocat, quod aliqui calumniose in culpam trahunt.

DE BENEFICENTIA ET STVdio Theoderici erga urbem Romam Cap. VII

IDem præterea Blondus Catalogum quendam recitat beneficiorum, quæ idẽ rex singulari studio in urbem Romanam contulit, sic dicens. Theodericus Ostrogothorum rex, licet Rauennæ sedem habuerit, amauit tamẽ ornauitq; urbẽ Romã, et multa publice prouidit, ac neglectæ instaurationis, supra fidem eorum qui barbarũ fuisse meminerint, maximã suscepit curam. Quod qui à fideli & à copiosissimo teste Verba Blondi.

 uoluerit

uolucrit certius intelligere, legat Caſſiodori, eius Epiſtolarũ ſcriptores, uariarum libros. In quibus uidebit ipſum regem religionis Chriſtianæ, ſacrorum locorum, Cerimoniarũq; et Pontificum Romanorum dignitatis curam geſſiſſe, Senatui ſæpe numero cõmendauit loca urbis, cum ſacra, tum etiã à maioribus ſummis uiris, Reipub. & imperij fundatoribus frequẽtata, præfectos, architectoſq; inſtituit, ſacris ædibus, Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, Cloacis, Aquæductibus, & cuiuſq; officij officinis, in priſcam formam, meliorem ueinſtaurandis. Præfecit uigiles, qui curam diu noctuq; ſuſciperent, ne urbis ornamenta, ſtatuæ, et ingeniorum monumenta, ex ære aut marmore exciſa, aſportarentur. Sepulcrum Augusti in Valle Martia, Tyberim inter & uiam flaminiam, inſtarari curauit. Et Amphitheatri, quod iam maiori ex parte corruerat, ſaxa loco moueri, niſi in ſolam murorum urbis inſtaurationem prohibuit.

Edictum de ſtatuis non auferendis.

Statuas principum æneas aut marmoreas, æqueſtres pedeſtreſq; nominatim multas, & generali Edicto omnes iuſſit conſeruari, adhiberiq; curam, ne illæ interirent, quibus fides poſteris aſſereretur, uiros fuiſſe preſtantiſſimos, uirtuti magiſ q̃ fortunæ inniſos, per quos in id magnitudinis Romana res creuit, Legeſq; & inſtituta ſeruari, malos ciuitatis mores à ſanctioribus corrigi, omnia deniq;, excepta militari diſciplina, ad uetuſtã ciuitatis, quã primus Reipub. oppreſſor Cæſar ſubſtulit, formam redigi optauit, Spectacula proprijs ſui fiſci pecunijs, ex uetuſto more edi, et alia munera publica exhiberi uoluit. Et cum aurũ argentumue in nummos ſignari ſuis temporibus oporteret, nullum ipſe ſignum aliud q̃ prius; ſtante Repub. conſuetum cudi eſt paſſus. Vt autem ciues uel noui ſerigendis, uel inſtaurandis uetuſtioribus ædificijs, maiorem haberent cõmoditatem, Calcarias in quibuſdam Italiæ Inſulis fieri curauit, calcẽq; poſtmodum ciuibus,

quorum

quorum principia ædificiorum cernerentur, sine præcio est largitus. Hactenus Blondus. Cui haud dissimilia refert Sabellicus.

Scribunt nonnulli Theodericum, statim post interfectũ Odoacrem, Romam profectum fuisse, Cassiodorus aũt sep timo post anno, Patritio & Hypatio. COSS. ait eum Romam, cunctorum uotis expetitum, aduenisse, et senatum suum mira affabilitate tractasse, Romanæ plebi dedisse anno nas, atq; admirandis mænibus deputata per annos singulos maxima pecuniæ quãtitate subuenisse. Sub cuius fœlici im perio plurimæ renouatæ sint urbes, munitissima condita castella, admiranda consurrexisse palatia, magnisq; eius operi bus antiqua superata esse miracula. Hæc de Theoderico Cas siodorus in libello de Consulibus.

Verba Cassiodori de beneficijs Theo. erga Ro. populũ

In libris aut Epistolarum complures recitat Theoderici epistolas et rescripta, quæ uarijs modis regis erga urbem Ro. beneficentiam explicant. Ex quibus paucas exempli & de clarationis gratia recensebimus. Quarum una est ad Albinũ & Albienum uiros insignes atq; Patritios.

Licet (inquit) inter gloriosæ Reipub. curas & regalium sollicitudinum salutiferos fructus pars minima uideatur, principem de spectaculis loqui, Tamen pro amore Reipub. Romanæ, nõ pigebit, has quoq; cogitationes intrare, quia ũdecũq; præstare possumus, dignũ nostris sensibus æstima mus, præsertim cũ beatitudo sit temporum lætitia populo rum. Illud n. propiciante Deo labores nostros asserit, quod se ociosam Generalitas cognoscit. Partis itaq; Prasini insinu atione comperimus, quoniã hoc introductum est, ut populi de colore uocitentur, seditiones turbulentæ à quibusdã sce lestissimis incitari, & causam lætitiæ publicæ ad furoris cer tamina prorupisse, quod utiq; gaudij decoram non potest habere qualitatem, si pacem non meruerit posidere cõmunẽ.

Verba Theo. de pace in spectaculis.

Et

Et ideo dignum est, clementiam nostrã has partes quoq; aspicere, ut ubiq; possit morum probitas elucere. couocatis ergo spectatoribus, de Helladia & Theodoro, qui letitiæ publicæ aptior fuerit æstimatus, populi confusione sublata, constituatur à uobis Prasini pantomimus, quatenus sumptum, quem pro spectaculo ciuitatis impendimus, electis contulisse uideamur. Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominauere maiores, scilicet quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod uix narrante lingua aut scripturæ textu possit agnosci. Hæc Rex ad illustres uiros illos.

Pontomimus.

Et rursus ad Sabinianum, uirum sublimen. Nil prodest (inquit) initia rei solidare, si ualebit presumptio, ordinata destruere. Illa sunt ne robusta, illa diuturna, quæ prudentia incipit, & cura custodit. Atq; ideo non minor in conseruandis rebus q̃ in inueniendis adhibenda cautela est. Quia de initis predicatio debetur inuento, de custoditis aũt acquiritur laudata perfectio. Dudum siquidem propter Romæ moenia ciuitatis, ubi studium nobis semper impendere infatigabilis ambitus erit, portum Sicini deputatis redditibus reperari iussio nostra constituit, ut XXV. Milia tegularum, annua illatione præstaret. Simul etiam portubus iunctis, qui ad illa loca antiquitus pertinebãt, & nunc diuersorum usurpatione suggeruntur inuasi. Cuncta ergo ad statutam prestationem facies sine dilatione reuocari. Quia licet nostra iussa pro sua reuerẽtia in nulla uiolanda sint. Eo tamẽ custodiri uolumus maxime, quæ urbis faciem uidentur ornare. Quis n. dubitet Fabricarum miracula hac prouisione seruata, & pendenti saxo formatas cameras tegularum regimine custoditas? Vt antiqui Principes nobis merito debeant suas laudes, quorũ fabricis dedimus longissimam iuuentutem: Vt pristina nouitate reluceant, quæ iam fuerãt ueternosa senectute fuscata.

Cõseruare in uigore ueterũ structuras.

Portus Sicini.

Item

Item ad Agapitum, uirum Illustrẽ præfectum urbis. Eximiæ (inquit) urbis præsulem, pacis conuenit esse custodẽ. Nam à quo melius moderatio debet sperari, q̃ cui potuit Roma cõmitti? Illa n. mater omniũ dignitatum, uiros sibi gaudet præsidere uirtutum. Et ideo circumspicere te decet, nequa in spectaculis seditionũ causa nascatur, quia tuum præconiũ est populus quietus, sit insultandi consuetudo moderata, ut nec libertate pereat honesta licẽtia, nec desit morib. disciplina. Libertas uerborũ in spectaculis.

Literarũ quoq; studium Romæ precipue uigere uoluit, & eo mitti curauit nobilium filios studiorum causa, etiã ex Syracusa & alijs longe positis ciuitatibus, sicut patet ex eius ad Festũ Patritium Epistola. Vbi inter cætera sic ait. Nulli sit ingrata Roma, quæ dici non potest aliena. Illa eloquentiæ fœcunda mater, illa uirtutum omnium latissimum templũ. Multo igitur benignior erga Romam fuit Theodericus, q̃ fuerat Odoacer, qui tanta dominatus est superbia, ut Romã intẽderit, mutato nomine, Odoacriã uocitare, Theodericus aũt maxime studuit, Romam in pristinum decus reuocare. Vnde & Suræ Comiti scripsit, ut marmorũ quadratos, qui passim diruti negligebantur, in fabricam murorum faceret deputari, ut rediret in decorem publicum prisca constructio. Ipse præterea magnam pro Romanis fabricis deputauit pecuniam, sicut liquet ex eius Epistola ad Arthemidorum præfectum urbis. Studium literarũ Romæ sub The. uiguit.

Quanti aũt fecerit eam dignitatẽ, nempe urbis præfecturam, multis sane declarat Epistolis ad complures Illustres uiros, quos diuersis temporibus illo sublimauit honore, quem certe in magnum & insigne reputabat beneficium. Vnde & in ordine dignitatum (quarum permulta genera in sua Rep. more priscorum imperatorũ habuit) Quartum præfecturæ urbanæ locum deputauit. Primum uero locũ obtinebat Cõsulatus, secundũ Patritiatus. Tertium præfectura Prætorij. Præfectura urbis Quarta in ordine dignitatũ.

Tantum itaq; & honoris & studij Romanæ impendit urbi exornandæ, ut multo plus in eam contulerit quam plæriq; fecerūt Imperatores antiqui, qui se Patres Patriæ dici gaudebāt.

Instauratio Cloacarum Romæ.

Ipse ueteres instaurauit Cloacas. De quibus ita scripsit ad Argolicum urbis præfectum. Videas illic fluuios, quasi montibus concauis clausos, per ingentia signa decurrere. Videas structis nauibus per aquas rapidas non minima sollicitudine nauigari, ne præcipitato torrēti marina possint naufragia sustinere. Hinc Roma (inquit) singularis, quanta in te sit potest colligi magnitudo. Quæ n. urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire? De quibus & Plinius admiratus est. Cloacas (inquit) operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atq; urbe pensili, subterq; nauigata. Id M. Agrippa fecit in ædilitate, post Consulatum, per meatus corriuatis Septem amnibus, cursu præcipiti torrentium modo, rapere atq; auferre omnia coactis. Amplitudinem cauis eam fuisse proditur, ut uehem feni large onustam transmitteret. Hæc Plinius.

Plinius lib. 6. c. 15.

Aquæ ductuum reparatio.

Qui & de Aquæductibus ibidem ualde miranda refert. De quorum sane reparatione maxime, sollicitus fuit Rex Thodericus, sicut ex ea conijcere licet Epistola, quam de ijs ad senatum scripsit, cuius hoc est initium. Quamuis uniuersæ Reipub. nostre infatigabilem curam desyderemus impendere, & Deo fauente, ad statū pristinum studeamus cuncta reuocare, tamen Romanæ ciuitatis sollicitiora nos augmēta constringunt, ubi quicquid decoris impenditur, generalibus gaudijs exhibetur. Et adhuc clarius de illis differit in formula Comitiuæ formarum urbis (Aquæ ductus n. formas uocat) quibus peculiarem deputauit Magistratū. Ad quem scribens sic ait. Quamuis Romuleæ fabricæ, collatæ sibi, uix possint præcipuæ reperiri, Quia totū admiratione noscitur exquisitum, quod ibi cernitur esse fundatū, Tamen interesse

Comitiua formarum.

arbitramur, quod utilitas necessaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum causa cōmendat. Traiani forum uel sub assiduitate uidere miraculum est. Capitolia celsa conscēdere, hoc est humana ingenia superata uidisse. Sed nunquid per ea uiuitur, aut corporis salus aliqua inde delectatione recreatur? In formis autem Romanis utrumq; præcipuū est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis.

Non solum autem suis impensis reperari fecit, muros, fabricas, Cloacas & Aquæductus, uerum etiam aliunde conduxit ingeniosos artifices, qui in aridis locis probe nossent puteos effodere & aquarum uenas inuenire. Quemadmodum scripsit ad Apronianum, Comitem Priuatarum. Magnitudinis (inquit) uestræ relatione cōperimus, Aquilegium Romam uenisse de partibus Aphricanis, ubi ars ipsa pro locorum siccitate magno studio semper excolitur, qui aridis locis aquas possit dare uernatiles, ut beneficio suo habitari faciat loca, nimia sterilitate siccata. Hoc nobis fuisse gratum cognosce. Nam quāuis Romana ciuitas aquis abundet irriguis, sitq; fontibus gaudens, & formarum inundatione ditissima, reperiuntur tamen plurima suburbana, quæ hanc uideantur desyderare peritiam. Habeatur ergo & iste inter reliquarum artium magistros, nequid desyderabile putetur fuisse, quod sub nobis nō potuerit Romana ciuitas continere.

Aquilegius seu aquilex, qui aquas colligit.

Triticum præterea aliunde Romam aduehi curauit, ut populo Ro. nihil sub eo deesset. Sic n. scripsit ad Luuirit Comitem. Cum pro incerti temporis euentu Romanas ædes inopia facie castigata pulsaret, & quāuis rara, tamen tam pulchræ ciuitati uideretur esse fœdissima, æquum iudicauimus, Hispaniæ Triticeas illi copias exhibere, ut antiquum uectigal sub nobis fœlicior Roma reciperet.

Annonæ procuratio pro Rom. popu.

Constituit itaq; præfectum annonæ, ad quem scribens ait. Tui studij est, ut sacratissimæ urbi præparetur annona,

Præfectus Annonæ.

 ubiq;

ubiq; redundet panis copia, & tam magnus populus tanq; una mensa satietur, per officinas pistorum ciboſq; discurris, pensum & mundiciam panis exigis, nec uile iudicas esse, unde te possit Roma laudare, merito, quando gloria singularis est, illius ciuitatis affectus. Et ne quod agis, aliquid putetur extremum, carpentum præfecti urbis mixta glorificatione cõscendis. Tu illi in spectaculis coniunctissimus inueniris, ut plebs, quam industria tua faciat, in sui reuerentiam te honoratum esse cognoscat. In fraudulentos igitur distringe, panis pondera æquus examinator intẽde, sollicitius auro pẽsetur, unde à Quiritibus uiuitur, quia gratior nobis est lætitia fauẽtis populi Romani, quã copia preciosissimi metalli. Intuere certe quod loquimur. Quid habes melius quod optes, quam illius populi gratiam quærere, quã nos etiã cõstat optare?

Officium præfecti uigilum.

Constituit insuper uigiles urbis Romæ (sicut et Rauẽnæ) quibus dedit præfectum, de cuius officio ita decreuit. Quãuis nomen tuũ ad ciuitatis te uigilias debeat excitare, ut possis implere quod diceris, tamen prudentiæ nostræ solita cautela non desinit, nisi eos, quos ad agendum deligimus, ad parendũ quoq; suauiter inuitemus. Quid est tibi pulchrius, quã in illa urbe operam nauanter impendere, diligentiæ tuæ ubi tales testes uidentur assistere? Cautela quidem tua mox ut adhibita fuerit, per patritiorum & Consulum ora discurrit. Custos Romanæ ciuitatis diceris, quando eam ab intestino hoste defendis. Quapropter circa fures sollicitus esto. Eris securitas soporantium, munimẽ domorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere insidiantes fas est & decipere gloria, Actus tuus uenatio nocturna est.

Tribunus uoluptatũ.

Instituit item Tribunum uoluptatum, qui scænicis et inhonestis præesset personis, ne illarum turpitudo nimium relaxaret aut infamaret morum disciplinam. Ait ergo Rex ad illum

illum Tribunum. Quamuis artes ludricæ honestis moribus sint remotæ, & Histrionum uita uaga, uideatur efferri posse licentia, tamen moderatrix prouidet Antiquitas, ut in totū non effluerent, cū et ipsæ iudicem sustinerent. Administranda est n. sub quadam disciplina exhibitio uoluptatum. Cum fama diminutis salua tua opinione uersare. Castitatem dilige, cui subiacent prostitutæ, ut magna laude dicatur, uirtutibus studuit, qui uoluptatibus miscebatur. Optamus n. ut per ludicrā administrationē ad seriā peruenias dignitatē.

Deniq; de statuis æneis & marmoreis conseruandis in urbe illesis, tantam adhibuit operam, ut comitem eius rei gratia Romæ constituerit, cuius dignitas dicebatur Comitiua Romana. Ad quem sane sic scripsit. Si clausis domibus ac munitis insidiari solet nequissimū uotum, quanto magis in Ro. ciuitate uidetur illici, qui in plateis præciosum reperit quod possit auferri? Nam quidā populus copiosissimus statuarū, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela seruandi, quali & cura uidentur affixi. Vbi si esset humanis rebus ulla consyderatio, Romanā pulchritudinem, nō uigiliæ, sed sola deberet reuerentia custodire. Ibi sunt exposita, quæ facere potuerūt diuitiæ generales & labor mundi. Quē inter ista deceat esse negligentem? Quis in causa tali patitur esse uenalis, quando grauissimum damnū potest fieri in pulchritudine singulari? Qua de re per indictionem istam, Comitiuæ Romanæ cū priuilegijs & iustis cōmodis suis tibi cōcedimus dignitatem, ut fideli studio, magnoq; nisu, quæras improbas manus, & insidiantes aut priuatorum fortunis aut mœnibus, ad tuum facias uenire iuditium, & rei ueritate discussa, congruam subeant de legibus ultionem.

Comes statuarum gratia constitutus.

De his etiā ad præfectum urbis nō nihil scripsit, Romanæ (inquit) fabricæ decus, peritū conuenit habere custodē, ut illa mirabilis sylua moeniū, diligētia subueniēte seruetur,

& moderna facies operis affabris dispositionibus construe‑tur. Hoc n. studio largitas nostra concedit, ut & facta ueterũ exclusis defectibus innouemus, & noua uetustatis gloria uestiamus. Proinde illustris Magnitudo tua Romanis arci‑bus ab ista indictione datum Architectum esse cognoscat, Et quia iustis cõmodis studia constat artium nutrienda, ad eũ uolumus pertinere, quicquid decessores eius cõstat racio nabiliter consecutos. Videbit profecto meliora quã legit, pulchriora quã cogitare potuit, statuas illas, auctorum suorũ scilicet adhuc signa retinentes, Has primum Thusci in Italia inuenisse referuntur. Quas amplexa posteritas, pene parem populum urbi dedit, quã natura procreauit. Nunc igitur po‑test esse ueridicũ, si uniuersa Roma dicatur esse miraculũ.

Architect. pro fabricis & statuis Rom.

DE GRATIIS ET HONORIFI‑cẽtia Theoderici Regis erga senatũ Ro. Cap. VIII.

QVam honorifice tractauerit Senatores Ro: rex iste, nemo explicatius aut certius referre potest quam retu‑lit ipsemet per diuersa rescripta sua, quæ ubiq; grauitatem & honestatem, non leues blanditias aut subdolas palpationes, præseferunt. Etenim in primo Cassiodori Epistolarum libro hisce uerbis senatui scripsit.

Querela plebis contra Senatores.

Animum nostrum, patres conscripti, Reipub. curis ca‑lentem, & diuersarum gentium consilia perscrutantem, pul‑sauit sepius querela populorum, orta quidem ex causis leui‑bus, sed graues eructauit excessus. Deplorat n. pro spectacu lorum uoluptate, ad discriminis se ultima peruenisse, ut legũ ratione calcata, desperate persequeretur innoxios seruilis fu‑ror armatus. Et quod illis humanitas nostra læticiæ causa pre stitit, in tristitiam audacia plectenda conuertit. Quod nos Clemẽtiæ nostre solita prouisione cõprimimus, ne paulatim

sinendo

finendo, grauiorem cogamur uindicare offensam. Benigni quippe principis est, nō tam delicta uelle punire, quā tollere, ne aut aeriter uindicādo, æstimetur nimius, Aut leuiter agendo putetur improuidus: Atq; ideo præsenti definitione sancimus. Vt si cuiuspiam senatoris famulus, in ingenui cæde fuerit fortasse uersatus, eū tradat legibus impetitum, ut facti qualitate discussa, proferatur iure ualitura sententia. Vos n. quos semper grauitas decet, nolite truculenter insequi inania uerba populorum. Si quid est forte, quod pœnam mereatur admissum, in præfecti urbis notitiam deferatur, ut culpa legibus, non per præsumptam coerceatur iniuriam.

Quā uenerabilis uero fuerit ei semper senatus, ex ipsius intelligitur uerbis, quæ scripsit ad urbis præfectos diuersos, Ad Agapitum quidē sic, præcipua ordinis uestri cura, cautiora nos facit proferre iuditia, & admittendos reuerendo cœtui, examinare cogit sollicitius honor senatus: quē non solum uolumus numero augeri ciuium, sed ornari maxime luce meritorum. * Reijciat alius ordo mediocres, senatus respuit eximie non probatos. Ad Arthemidorum uero sic. Vt illi Cœtui præsidere possis, quē reuerendū humano generi esse cognoscis, Illa, quæ potiora credimus, ad cōseruandum melioribus damus. Et in quibus sustinere damna non patimur, fidelioribus profecto mentibus applicamus. Roma si habet parem, æstima nos & alijs similia credidisse. Si uero singulare bonum est, iudicem te precipuæ rei facimus, quā augere semper optamus.

Senatus Ro. humano generi reuerendus.

* Recipiat.

Et ad ipsum senatum de iam dicto Arthemidoro sic. Scitis, P. C. nostrum esse gaudium culmina dignitatum. Scitis uobis proficere, quod nobis contigerit in fasciū honore præstare. Quod n. ab uno quoq; suscipitur, senatus est qui meretur. Quid n. de uobis æstimemus, agnoscitis, quando uiris longo labore cōpertis, hoc certe in præmiū damus, ut uestri

P. C. Patres Cōscripti.

corporis

corporis mereantur esse participes. Hic est n. uir, qui genitalis soli relicta dulcedine, nobis maluit inhærere. Et licet esset clarus in patria, nostram tamen elegit subire fortunam, superans gratiæ magnitudine uim naturæ. Qui principe Zenone non tam beneuolo quã affine gaudebat.

Fœlix cum Secundino, proximi fuerũt cõsules post Boetium.

Rursus ad eundem senatũ, de fœlice Cõsule facto. Gaudete P. C. uobis rediisse stipendia dignitatũ, gaudete prouincias longa ætate desuetas uiros uobis pendere consulares, & de tali auspicio maiora promittite. Solent n. initia portendere meliora, dum à paruis inchoant, quæ in sequentibus magna se admiratione sublimant. Iacebat nobilis origo sub Gallicano iustitio, & honoribus suis priuata, peregrinabatur in patria. Tandem pressos diuina leuauerumt, Romam recepere cum gloria, & auorũ antiquas laurus ab honorata Curiæ sylua legerunt. Nam quis possit negare generi munus, cui habeatis uelut in arce depositum? In ore quippe rumoris est quandam fœlicis adhuc uiuere consulatum, quia bona durare norunt post hominem, & quod gloriose geritur, fine temporis non tenetur. Cuius ut antiquã prosapiam, faciati ueterum copia, transeamus, est adhuc in oculis omnium, candidati nobilissimus pater, qui prudentiæ facibus ita preluxit in Curia, ut haberetur merito clarus inter tot lumina dignitatum, fuit quidam nostrorum temporum Cato, qui abstinendo uitiis, alios formaret exemplis.

Iustitiũ sub Francis dicit, sub quibus iura Romana silebant. Sed bonam Galliarum partẽ Ro. Reipub. restituit Theo.

Sub Theodosio II. uicit Francos Actius circa Rhenum COSS. Fœlice & Tauro.

Et in alia ad eundem senatum Epistola sic ait. Constat senatum populis uiuendi regulam præstitisse, Nam quod ornat nomen Romanum, à uobis legitur institutum. Ad hoc Patres in illo principio nominati, ut quasi filiorum per uos possit uita cõponi. Vos n. deuotionẽ prouintiis, uos priuatis iura decreuistis, & ad omnes iustitiæ partes subditos parere libenter docuistis. Et ideo non decet, inde signum resultationis exire, unde exemplum potuit exultationis effulgere. Et

Senatores Cur patres dicti fuerũt.

post pauca

postpauca, Atq; ideo P. C. qui parem nobiscum Reipub. debetis annisum, sic æquabiliter ordinate, ut quicquid unaquæq; domus Senatoria profitetur, destinatis procuratoribus per prouincias trina illatione persoluat.

Et iterum in alia ad senatum Epistola. Amamus (inquit) P. C. dignitates eximias de nostra benignitate nascentes, Publici enim decoris mater est mens regentis. Et quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum, facilius est quippe, si dicere fas est, errare naturam, quam dissimilem sui princeps possit formare Rempub. Hinc est, quod cupimus, ut perpetuis honoribus fulgeatis. Quia quicquid de uobis fama loquitur, nostris institutionibus applicatur.

Item in Epistola quadã ad Argolicum urbis præfectum. Gratum nobis est (inquit) uota uestra circa sacri Ordinis augmenta proficere. Lætamur tales uiros eligere, qui senatoria mereantur luce radiare, ut laude conspicuis deferatur gratia dignitatis. Curia namq; disciplinis ueterũ patet, nec ei iudicari potest extraneus, qui bonarũ artium est alumnus.

Rursus ad senatum scribens, propter synagogã Iudæorum à plebeis quibusdã seditiose incensam, sic orsus est. Vrbis Romanæ celebris opinio suo conseruanda est nihilominus instituto, nec uicia peregrina capit, quæ semper se de morum probitate iactauit. Leuitates quippe seditionum, et ambire propriæ ciuitatis incendium, non est uelle Romanum. Ideoq; in autoribus facti, legum est seruanda districtio, ne detestabilis à spectus ad imitationẽ nefandam uulgi pectora compræhendat.

Et iterum ad senatum. Licet (inquit) candidatos uobis frequenter genuerit munificentia principalis, & fœcunda indulgentia nostra uobis altera sit natura. Habetis nunc profecto uirum, quem & nos elegisse deceat, & uos suscepisse cõueniat. Cui sicut fortunatũ fuit, à nobis eligi, Ita laudabile

erit, uestro cœtui honorum lege sociari. Hoc tamen Curiæ fœlicius prouenit, quam nobis et impolitus tyro militat. Illa uero non recipit nisi qui iam dignus honoribus potuerit inueniri. Conuenienter ergo ordo uester æstimatur eximius, qui semper est de probatissimis congregatus. Non enim illic profanis reseratur introitus, sed tales illuc promittuntur accedere, quales inde etiam cernuntur exire. Suscipite itaque Collegam, quem Palatia nostra longa examinatione probauerunt. Qui Regijs ita intrepidus militauit affatibus, ut iussa nostra sæpe nobis expectantibus atque laudātibus explicaret. Cognoscitis profecto quæ loquimur. Quis enim uestrū à Cypriani deuotione commotus est? Nam qui solatia eius petijt, mox beneficia nostra suscepit. Obtinuit ille sæpius in uectationibus nostris, quod in cōsistorijs agi solebat antiquis. Et post pauca. Gloriatur etiam non extrema luce natalium. Nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit, uir quidem abiectis temporibus, ad excubias tamen Palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub auidissima remunerationis sterilitate iacuisset. Quid enim cōferre poterat tenuis donator? Qui si tamen non ditauit, innotuit. Quia magnæ abundātia laudis, in penuria Reipub. uel mediocria munera meruisse, uicit ipse maiores suos fœlicitate sæculorum, & quod amplius euectus est, nostris est tēporibus applicandū.

Curia non nisi probatissimos recepit sub Theo.

Denique in formula præfecturæ urbanæ multa cōprehēdit, quæ ad eminentiam & dignitatem senatorum explicandam deseruiunt. Cum de dignitate (inquit) commissa laus semper iudicis æstimetur, & potior habendus est quam sint illi quibus præesse cognoscitur. Nemo amplius uidetur erigi, quam cui potuit Roma committi. Grāde est quidē, procerem esse, sed multo grandius de proceribus iudicare. Senatus ille mirabili opinione gloriosus probatur habere præsulem, quem mundus suscipit iura condentem, eoque fit, ut illi utantur

Præfectus urbis in senatu primū habet locū.

in senatu

in senatu potestate perfecta, qui apud te trepidant dicere proprias causas. Verum hæc quoq; modestia cognoscitur esse prædicāda, ut optent se legibus teneri, quæ ab ipsis sciuntur posse constitui. Respice ergo tot doctos uiros, & consydera, quale sit, his aliquid dicere, nec erroris uerecūdiā formidare. De talibus disceptas, quos tibi cognoscis esse potiores. Sic ergo locum tuum tracta, ut omnes te iudicem honoratæ congregationis agnoscant, Consides supra omnes scilicet Consulares, sententiam primus dicis, & in illa libertatis Aula reuerendus aspiceris, in qua commissos habere mundi Primarios approbaris. Quis iam de obscuro uitio cogitare possit, qui se inter morum lumina tot esse cognoscit? Aula libertatis.

Ex his & id genus multis huius regis epistolis facile patet, quanta sub eo ualuerit autoritate, ac dignitate floruerit senatus. Vt si quis Cæsarum uitas, quas Suetonius, Lampridius, Capitolinus, Vopiscus & alij descripserunt percurrat, nullū facile inueniet, qui honorificentius aut benignius tractauerit senatum.

DE REVERENTIA THEODERICI erga Papā & Clerum Ro. atque Catholicum Cap. VIIII.

QVanq; sectæ esset Arrianæ Theodericus cū tota gente sua, Tanta erat tamen moderatione animi, ut Clerum Catholicum & Ro. Pontificem in antiquis Ecclesiæ ritibus, iuribus, priuilegijs, censibus & quibuslibet emolumētis atq; obuentionibus nequaq; impedierit, sed iuuerit potius atq; promouerit. Quoniā uero de his parce loquuntur Historici, quod scirent illum Arriana infectum & absorptum hæresi, ex ipsius epistolis colligēda nobis sunt Reuerētiæ eiusmodi

(quæ & speciem pietatis habuit) exempla, quæ bonis princi pibus ad imitandum haud inmerito proponi possint, plærigꝫ enim hodie longe irreuerentius gerunt se erga sacra & erga Ecclesiæ ministros quam fecit ille.

Verba Theode. de Ro. Pont. et Ro. ecclesia.

Sic ergo scripsit Arigerno uiro Illustri Comiti. Iustitiæ (inquit) nostræ cōuenit, ut de indultis beneficijs calumnias fieri nō sinamus. Et quicquid praua interpretatione tegitur, fugata mendacij nube reuelemus. Defensores itaque sacrosanctæ Ro. Ecclesiæ conquesti sunt, Beatæ recordationis quondam simplicium domum in sacratissima urbe positam, ab Eufrasio Acohto instrumentis factis solēniter cōparasse, quam per annorum longa curricula Ecclesiam Romanam quieto iure suggerunt possedisse, & in usus alienos transtulisse, securitate dominij. Nunc autem existere Samareæ superstionis populū, improba fronte duratum, qui Synagogam ibidem fuisse iniquis conatibus mentiatur. Cum ad humanos usus habitacula longe aliter formata doceantur, ꝙ potest esse memorata constructio. Quapropter Magnitudo tua, cōscientiæ suæ probata iustitia, causam diligenti examinatione discutiat, & si uera cognouerit quæ ueniunt in querelam, consyderata æquitate definiat. Nam si humanis actibus sunt calumniæ submouendæ, quanto magis credimus emendanda, quæ contumeliā diuinitatis tāgere iudicamus? Hæc ibi. E quibus sane nouarum hodie sectarum Principes & populi merito discere deberent, quam sit inuerecundū (ne quid grauius dicam) contra Papam & Ro. Ecclesiam tam procaciter loqui, scribere & agere, quam solent noui corum Theologi, qui tam falso quam superbe Euangelicos se dicūt, Cum audiant hic, ab Arriano principe tā reuerenter scriptū esse cum de Papa tum de Ro. Ecclesia licet tota Italia cum ipsa Roma sub pleno eius esset dominio.

Qui et de alijs Ecclesijs ubiqꝫ reuerēter locutus esse uidetur.

Quēadmodū

Quemadmodũ ex ea, quam ad faustum præfectum prætorio scripsit, Epistola cognoscitur. Nefas est (inquit) apud eos fidem beneficij prioris imminui, quibus alia conuenit à nostra sæpius largitate præstari. Sed sicut quæ semel annuimus, rescindi perpetuo non meretur, sic qui largitatẽ nostrã moderatis precibus impetrarunt, nostrorum terminos præstitorum, immodica nõ debent præsumptione transcendere. Vnde quia religiosi studij reuerentia commonemur, ut quæ dudum Ecclesiæ uiri uenerabilis Versiliæ antistitis præstitimus, ualere in perpetuum censeamus. Nunc quoq; illustrem Manificentiam tuam duximus admonendam, quatenus superindictorum onera titulorum præfata Ecclesia, in ea summa onus non sentiat, quæ usq; ad magnifici uiri Cassiodori Patritij, pura nobis fide & integritate cõperti, tẽporibus est soluta.

Largitas Theo. erga Ecclesias.

Hic Cassiodorus, pater fuit Cassiodori nostri, et præfect9 prætorio sub Theo. Nostro aũt sub nepote eius præfec. pater fuit.

Scripsit item ad Seuerũ Episcopum in hæc uerba. Quis melius ad æquitatis iura deligitur, quam qui sacerdotio decoratur? Qui amore iustitiæ personaliter nesciat iudicare, et diligens cunctos in cõmune, locum non relinquat inuidiæ. Proinde aptam consyderantes uestris meritis actionem, significamus nos per Montanarium sanctitati uestræ Mille Quingentos solidos destinasse, Quos prouincialibus, pro ut quemq; præsenti anno, exercitu nostro transeũte, dispendiũ pertulisse cognoueris, habita læsionis æstimatione, distribuas. Vt nullus à nostra munificentia reddatur alienus, quem sua damna grauauerunt. Nolumus enim sub confusione largiri, quod decet sub ratione distribui, ne quod necessaria nos transmisisse constat afflictis, superfluo tribuatur illæsis.

Pecunia Theo. per Episcopum Seuerũ distribuenda.

Scripsit præterea ad Adilam uirum sublimen, Comitem Siciliæ pro Ecclesia Mediolanẽsi in hanc sententiam. Quãuis nullos uelimus grauamẽ aliquod sustinere, quos uidetur pietas nostra protegere. Quia regnãtis est gloria, subiectorũ

Pro reditibus Eclesiæ Mediolanẽsis in cecilia.

 ociosa

ociosa tranquillitas, Tamen, specialiter Ecclesias ab omni iniuria reddi cupimus alienas. Quibus dum aequabilia praestantur, misericordia diuinitatis acquiritur. Et ideo Beatissimi uiri Eustorgij, Episcopi sanctae Mediolanensis Ecclesiae petitione permoti, praesentibus te affatibus admonemus, ut praedijs uel hominibus illius Ecclesiae, intra Siciliam constitutis, tuitionem studeas salua ciuilitate praestare, nec à quoque cuiuslibet nationis homine cõtra fas patiaris opprimi, quos decet Diuinitatis intuitu subleuari. Ita tamen ut causis publicis & priuatis, quae cõtra eos rationabiliter proponũtur, respõdere non differant. Quia sicut nolumus eos ab aliq praegrauari, ita exemptos à tramite iustitiae non patimur inueniri. Haec ipse rex.

Caeterũ in Decretis Gratianus recitat antiquã ex Synodo de causa Symmachi Papae (qui Theoderici regis temporibus Ro. Ecclesiae praesedit) historiam, quam his adiungere non uidebitur, credo, absurdum. Hinc (inquit) cum autoritas Theoderici Regis ex diuersis prouincijs ad urbẽ Romanam sacerdotes conuenire praecepisset, ut sanctum Conciliũ iudicaret de ijs, quae uenerabili Papae Symmacho, praesuli Apostolicae sedis, ab aduersarijs ipsius dicebantur impingi, Liguriae & Aemiliae Episcopi seu Venetiarum, suggesserũt, ipsum qui dicebatur impetitus, debere Synodum cõuocare, scientes, quia eius sedi primũ Petri Apostoli meritũ. Deinde secuta iussione domini, Conciliorum uenerãdorũ autoritas, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem. Nec antedictae sedis Antistitem, minorum subiacuisse iudicio.

In Decretis, Dist. 17. c: Concilia. §. hinc etiam.

Ad hóc serenissimus Rex, Deo inspirante, respondit, Synodalis esse arbitrij, in tanto negotio sequenda praescribere: Nec aliquid ad se praeter reuerentiã de Ecclesiasticis negotijs pertinere. Committens etiam potestati Pontificum, ut siue propositum uellent audire negotiũ, siue nollẽt. Quod magis

putarent

putarent utile, deliberarent. Dũ modo uenerandi prouisione concilij, pax in ciuitae Romana daretur. Episcopi uero in Synodo residentes, congregata autoritate eiusdẽ Symmachi dixerunt. Symmachus Papa, sedis Apostolicæ Praesul, ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quãtum ad homines respicit, sit immunis & liber. Cuius causam totã Dei iudicio reseruamus. De clericis uero memorati Papæ, qui ab Episcopo suo ante tẽpus contra regulas discesserũt, & schisma fecerunt, hoc fieri decernimus, ut illi satisfacientes Episcopo suo, misericordiam consequantur, & officijs Ecclesiasticis se gaudeant restitui. Laurentius Episcopus Ecclesiæ Mediolanẽsis huic statuto nostro, in quo causam Dei iudicio cõmisimus, subscripsit, Petrus Episcopus Ecclesiæ Rauennatis sub eisdẽ uerbis subscripsit, & post eum LXXV. Episcopi. Hæc Gratianus.

Hic Laurentius, supra Eustorgius, Mediolanensis dicitur Episcopus. De quo mirandum non est. Nã Theo. rex 38. annis in Italia regnauit. Ideo diuersis sub eo potuit una Ecclesia habere Episcopos diuersis temporibus, certe Platyna cõmemorat sub huius regis temporibus Sex Pont. Ro.

Pro clariori autem huius historiæ intelligentia adiungenda sunt quædam ex uetusto libro Pontificali, quæ sic habẽt. Symmachus, Natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos XV. menses VII. Dies XXVII. Hic fuit temporibus Theoderici Regis & Anastasij Augusti. Hic sub cõtentione ordinatus est uno die cum Laurentio, Symmachus in Basilica Constantiniana, Laurentius in Basilica Beatæ Mariæ. Ex qua causa seperatus est clerus, & diuisus est senatus. Alij cum Symmacho erant, alij uero cũ Laurentio, Et facta contentione, hoc constituerunt partes, ut ambo Rauennã pergerent ad iuditium regis Theoderici. Qui dum ambo introissent Rauennam, hoc iudicium æquitatis inuenerunt, ut qui primo ordinatus fuisset, uel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede Apostolica. Quod tandem æquitas in Symmacho inuenit & cognitio ueritatis, & factus est Praesul Symmachus. Eodem tompore Papa Symmachus congregauit Synodum, & constituit Laurentium in Nucerina

ciuitate

ciuitate Episcopum intuitu misericordiæ.

Schisma Romæ contra Symmachum Pap.

Post annos uero Quatuor, aliqui ex Clero zelo ducti, & aliqui ex senatu, maxime Festus et Probinus, incriminauerũt Symmachũ, et subornauerũt falsos testes. Quos miserũt Rauẽnam ad Regem Theodericum, accusantes Beatũ Symmachum, & occulte reuocauerunt Laurentium, post libellũ Romæ factum, Et fecerunt schisma, & diuisus est iterũ Clerus. Nã alij cõmunicauerũt Symmacho, & alij Laurentio. Tũc Festus & Probinus senatores miserunt relationẽ Regi, & ceperunt agere, ut uisitatorẽ daret Rex sedi Apostolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ ciuitatis Episcopum, quod Canones prohibent. Eodẽ tempore B. Symmachus congregauit Episcopos C X V. Et facta Synodo purgatur à crimine falso, & damnatur Petrus Altinas inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia uiuo Episcopo Symmacho, peruaserunt sedem eius. Tunc ab omnibus Episcopis & Præsbyteris & Diaconibus & omni Clero uel plebe, redintegratur sedi Apostolicæ B. Symmachus cum gloria apud B. Petrum sedere præsul. Eodẽ tempore Festus Caput senatus exconsul & Probinus exconsul, cœperunt intra urbem Romam pugnare cum alijs senatoribus, & maxime cũ fausto exconsule, & cædes & homicidia in clero ex inuidia fiebant. Post hæc omnia B. Symmachus inuenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulachra uel Codices, ante fores Basilicæ Cõstantinianæ, incendio concremauit, & eos ipsos exilio relegauit. Fuit autẽ à Consulatu Paulini, usq; ad consulatum senatoris. Hæc ibi, senatorem autẽ hic dicit Cassiodorum, qui in libello de consulibus de suo cõsulatu sic ait. Me etiam consule in uestrorum laude temporum, adunato clero uel populo Romanæ Ecclesiæ redijt optata concordia, Meminit illius schismatis Gregorius quoq; Papa in suis Dialogis, ubi mira refert de Pascasio Ro. Ecclesiæ Diacono, qui

contra

contra Symmachum Laurentio (quem semel elegerat) ad mortem usq; adhæsit, et propter hoc post obitũ ad Thermas quasdam damnatus, á Germano Episcopo Capuano cognitus est ibidẽ, & dixit ei hæc uerba, pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij cõtra Symmachum sensi. Sed quæso te pro me dominum deprecare, atq; in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me nõ inueneris. Addit ergo Gregorius, ita factum esse, nempe Germani precibus liberatũ Pascasium. Quia enim non maliciæ (inquit) sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortẽ à peccato potuit, quod tamen credendũ est, quia ex eleemosynarum suarum (nam magnus fuerat cultor pauperum & contemptor sui) largitate hoc obtinuit, ut tũc posset promereri ueniam, cum iam uel posset operari, hæc Gregorius.

Vt autem intelligat lector, quantis opibus sub hoc rege Theoderico abũdauerit Ecclesia Ro. Quędã hic opera dicti Symmachi Papæ (qui tot alioqui discordijs conflictatus fuit) ex supra dicto libro Põtificali recensebimus. Hic fecit (inquit) Basilicam S. Andreæ Apostoli apud B. Petrum, ubi fecit ciborium ex argento, & Confessionem, pensantem libras CXX. Arcus argenteos Tres, pensantes libras LX. Oratorium S. Thomæ Apostoli ex argento, & Confessionem pensantem libras XX. Arcum argenteum, qui pensat libras XVI. Confessionem S. Cassiani & Sanctorũ Prothi & Iacynthi ex argento, pensantem lib. XX Arcum argenteum pensantem libras XII. Oratorium S. Sossi ex argento & confessionem, pensantem libras XX, Item adfontem in Basilica B. Petri Apostoli Oratoriũ S. Crucis ex argento, confessionem & crucem ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum. Ipsa crux aurea pensat lib. X. fecit aũt oratoria duo S. Iohãnis Euãgelistæ & S. Iohãnis Baptistæ,

Opes & opera Symmachi Papę sub Theo.

Infra quorum Confessiones fecit arcus argenteos pensantes lib. XXX. Quae cubicula omnia fundamento perfecta construxit.

Ornamēta Basilicae S. Petri.

Basilicam S. Petri marmoribus ornauit, & Cantarum B. Petri cum Quadriporticu ex marmoribus ornauit, & ex musiuo agnos & cruces & Palmas ornauit. Ipsum uero atrium omne compaginauit. Gradus uero ante fores Basilicae B. Petri amplificauit, & alios gradus sub tigno dextra leuaque construxit. Item Episcopia in eodem loco dextra leuaque fecit. Intra ciuitatem Romanam Basilicam S. Syluestri & Martini à fundamento construxit iuxta Thermas Traianas. Vbi & super altare Ciboriū argenteū fecit, quod pensat lib. CXX. Arcus argenteos XII. qui pensant singuli lib. X. Confessionem argenteā quae pensat lib. XV. fecit & alias multas Basilicas atque Oratoria extra moenia, quae longum foret singula referre. Item ad B. Petrū & B. Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium, pauperibus habitacula construxit. Item ad B. Petrum XX. Canthara argentea fecit, pēsantia singula lib. XV. Et arcus argenteos XXII. pensantes singuli lib. XX.

Eleemosynae magnarum expensarum.

Hic omni anno per Aphricam uel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant retrusi, pecunias et uestes ministrabat. Hic captiuos per Liguriam & Mediolanum & per diuersas prouincias pecunijs redemit, & dona multiplicauit & dimisit. Haec ibi, qualia & Platyna in uita Symmachi non pauca cōmemmorat. Quis autem Ro. Pontificum nostris temporibus in tam multa pietatis opera possit impensas sufficere, licet contra opes eorū uulgo permulti nunc inuidiose scribant & clamitent?

DE PROBITATE MAGIStratuū & officialiū sub rege Theode. Cap. X.

Multos

MVltos quidem ac diuersos in regno suo habuit Magistratus & Officia rex iste, sicut et Imperatores aliiq; potentes principes habuere, sed uix fuit unus inter omnes, qui uel maiori cura & iuditio delegisse, uel magis sollicite ad uirtutem & animi integritatem adhortari delectos uisus sit. Id quod facile credet, quisquis eius rescripta & dignitatum formulas perlegerit. Nos hic exempli gratia pauca referemus.

Bonus minister principis.

Etenim, Cum Stephanum, uirum sublimem, Cōmitem primi ordinis, Exprincipem facturus esset, id meritorū eius intuitu se facere testabatur, sic scribens, Tribuenda est iustis laboribus cōpensatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Placere siquidē meruisti cunctis, cum semper diligenda custodis, silentium in secretis, in actionibus efficatiā, in obseruationis labore frequentiam, & quod rarum est continentiæ bonum, crebra hominū uicia fecerunt, Cum multis præberes officia, nulli tuam operam uenditabas, Vocabulū principis nulla sorde maculasti, seruans dignitatē nominis, exercitatione uirtutis. Hinc est, quod Spectabilitatis honorem, quem militiæ sudore detersis iusta deputauit antiquitas, præsenti tibi authoritate conferimus, ut laboris tui tandem finitas excubias remuneratione Comitiuæ primi ordinis iam securus intelligas. Et quia gratiā principis dignitas nuda nō afferit, nec beneficiū dici pōt, quod nulla utilitate sentitur, Priuilegia tibi quoq;, quæ tribui Scholæ tuæ Exprincipibus Diualia cōstituta uoluerūt, simili munificentia condonamus.

Senarij Aulici ministri uirtutes.

Sic & senarium uirum Illustrem facturus Comitem priuatarū, seu patrimonij, à meritis antecedentibus cōmendat, ad ornatum (inquit) Palatij credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere. Quia de claritate seruiētiū crescit fama dominorum, Tales enim prouehere principem decet, ut quoties Procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se

cognoſcat recta iudicia habuiſſe. Moribus enim debet eſſe conſpicuus,qui datur imitandus,facile eſt,qualemcunq; ſibi deligere,multis autē electum uidere decet. Cape igitur per indictionem Quartam Illuſtris Comitiuæ noſtri patrimonij dignitatem. Quam tibi non immerito tribuit Regalis authoritas. Diu namq; noſtris ordinationibus geminū mutuatus obſequium,& conſilij particeps eras,et diſpoſita laudabili aſſumptione cōplebas. Subiſti ſæpe arduæ Legationis officium, Reſtitiſti Regibus non impar aſſertor, coactus iuſticiā noſtram & illis oſtendere, qui rationem uix poterant cruda obſtinatione ſentire. Non te terruit contentionibus inflammata Regalis authoritas, ſubiugaſti quinimo audatiam ueritati, & obſecutus ordinationibus noſtris,in conſcientiam ſuam barbaros perpuliſti.

Quæſtura requirit doctrinam & probitatē.

Et cum ad quæſturam promoueret Illuſtrem uirum,Honoratū,in hæc uerba ſcripſit ſenatui.Certum eſt, P. C. prudentibus uiris ueſtrum florere conſilium. Sed & hoc probatur egregiū,quod uobis permiſcetur dignitas literarum. Omnes enī quos ad Quæſturæ culmen euehimus,doctiſſimos æſtimamus. Quales legum interpretes et conſilij noſtri decet eſſe participes. Dignitas,quæ nec diuitijs nec ſolis natalibus inuenitur, ſed tantum eam doctrina cum coniuncta poteſt impetrare prudentia. Nam licet in honoribus alijs beneficia conferamus,hinc ſemper accipimus. Eſt nimirum curarum noſtrarum fœlix portio,ianuam noſtræ cogitationis ingreditur,pectus quo generales curæ uoluuntur,agnoſcit, Aeſtimate quid de illo debeat iudicari,qui tanti particeps ſit ſecreti? Ab ipſo legū peritia poſtulatur. Illuc uota cōfluunt ſupplicantium. Et quod eſt omni theſauro praecioſius,penes ipſum ciuilitatis noſtræ fama reponitur. Quæſtore iuſto innocentum conſcientia fit ſecura,improborum tantum uota redduntur anxia. Et cū malis ſurripiendi ſpes tollitur,ſtudiū

bonis

bonis moribus adhibetur. Vnicuiq; propria iura custodit, pecuniæ continēs, æquitatis profusus, nescius decipere, promptissimus subuenire, ingenio principis seruit. Quod uniuersa superat, illius ore loqui cogitur, cui nullus similis inuenitur. Hunc locum uitijs uacuum, uirtutibus plenum, qui sub nostra potuit expedire præsentia, nōne uobis dignus est esse Collega?

Item Capuanum, Decuriarum Rectorem promouens, ita scripsit senatui. Licet caute semper eligendus sit qui uobis mittitur approbandus, quia ipse magis traditur examini, cuius sententia noscitur prolata pensari. Illas tamen prudentibus uiris sociari cupimus dignitates, quæ Romanis artibus quasi gemmæ nobiles affiguntur, Vbi enim dignius eloquēs quam in ciuitate proficiat literarum? Vt ibi declaret meritū, ubi nutriuit ingenium. Capuanum igitur, spectabilem uirū, æstimatio nostra respexit, qui Curiæ uestræ sententiam maioris natu autoritate facundus ediceret, & senatus scrinia cō scientiæ puritate seruaret, ut actus illos mundo celeberrimos sua reddat integritate laudandos. Magnū munus est P. C. ad integritatem deligi. Nec mediocriter probatur consciētia, cui est ueritas cōmissa seculorum. Et infra. Quæ nunc ideo declaramus, ut cognoscatis, subiectorū gratas nos habere uirtutes, & iudicium nostrum non per casuale uotum, sed per electionis studium doceamus esse conceptum. His ergo P. C. Capuanum bonis dotatum, à præsenti indictione Decuriarum Rectorem esse præcipimus, maioris etiā natu authoritate subuehimus, ut qui se morū cana maturitate tractauit, quod est amplissimum reuerentiæ genus, in uestro ordine, ætatis honore gratuletur. Augebit eloqentiā officio meliore ditatus, quoniam multo facundior est qui sententiam dictat quam ille qui supplicat. Hæc Regis huius rescripta, exempli gratia adducta sufficiant.

Decuriarū Rector in senatum.

Qui uolet, plura legat in Cassiodori Epistolis. E quibus cognoscet, quantam ubiq; suis Officialibus iniunxerit, aut approbatis tribuerit morum integritaten & honesti studiũ, siue in Palacio regis, siue in senatu, aut in urbe Romana siue in proiuncijs, suæ functionis assecuti essent dignitatẽ. Quare nemo de optimo Reipub. statu qui sub isto floruit rege, dubitare iure poterit, qui tantam eius in deligendis magistratibus curã, diligentiãque et integritatis iudiciũ expẽderit.

DE IVSTITIAE VIGORE ET legũ obseruatione sub Rege Theo. Cap XI.

QVãtam iusticiæ rationem legumq; reuerentiam ubiq; custodierit Rex iste, ex diuersis eius rescriptis facile colligitur. Non pepercit consanguineis, nõ Magistratibus quãtumuis sublimibus, non senatoribus & Patritijs, nõ quibuslibet officialibus, quicunq; à iustitiæ tramite per humanos affectus declinare uisi fuissent. Nos ex multis pauca hic recitabimus iustitiæ illius exempla quæ imitari dignũ sit bonos principes.

Qualis esse debet Aduocatus fisci.

Etenim Marcello, quem Fisci sui Aduocatum constituebat, inter cætera sic scripsit. Polisti (inquit) forensi cote multipharie prædicatus ingenium, nutristi facundiam exercitatione causarum, expertus es quã suaues fides afferat fructus, ut etiam ipsa concilier corda regnantiũ. Hæc in te speculator uirtutum noster sensus inspexit, his apud nos suffragijs placere meruisti, ut dignus existeres ad publicas causas, qui gessisti hactenus sub integritate priuatas. Sume igitur Fisci nostri tuenda negocia, in utẽdis Officij tui priuilegijs, decessorum exempla secuturus. Ita ergo per medium iusticiæ tramitem moderatus incede, ut nec calumnia innocẽtes graues,

nec iusti

nec iusti petitionibus retentatores exoneres. Illa enim uera lucra iudicamus, quæ integritate suffragante percipimus. Non ergo quoties superes, sed quemadmodũ uincas inquiramus. Aequitatem nobis placiturus intende. Non quæras de potestate nostra, sed potius de iure Victorias. Quãdo laudabilius à parte fisci perditur, cum iusticia non habetur. Nã si dominus uincat, oppressionis inuidia est. Aequitas uero creditur, si supplicem superare cõtingat. Non ergo paruo periculo causas dicimus, quando tunc fama nostra proficit, cũ se cõmoditas iniusta subducit. Quapropter fit inter dũ causa mala fisci, ut bonus princeps esse uideatur. Maiori quippe compendio perdimus, quam si nobis indebite uictoria suffragetur.

Inter senatores quoq; per omnia saluam uoluit esse iustitiam, quantumuis magno eos honore multisq; propter senatoriam dignitatem priuilegijs decorauerat, sicut ex proxime sequenti patet rescripto. In quo Celiano & Agapito uiris Illustribus & Patritijs in hanc formã scripsit. Decet quippe regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quoniã ad laudem Regnãtis trahitur, si ab omnibus pax ametur, Quid est enim quod nos melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, totaq; Respub. morum nostrorum honestate uestita? Hinc est, quod præsenti iussione decreuimus, ut Patritij atq; Magnifici uiri, Festus atq; Symmachus, contra Illustrem & Patritium Paulinum, in iudicio uestro, quas se habere dicunt, exerant actiones. Quibus pro legum ratione susceptis, & si iuris ordo patitur, definitis, tunc Patritius Paulinus, quicquid aduersum supra memoratos magnificos uiros se habere causatur, pari sorte depromat.

Iudiciũ causis senatorũ

Quinctiam Consanguineum suum Theodohadum, qui post nepotis sui obitum factus fuit Rex per Amalasuitham eius filiam, quodã rescripto ad legũ iustitiam serio admonuit

Repræhensio Theodohadi propter auaritiã

in hæc

in hæc uerba,inter cæteras,quibus humanũ genus sollicita-tur,illecebras,præcipue uitanda est alienarum rerum turpis ambitio,quia immensum iactata rapitur,si iustitiæ ponderi-bus nõ prematur. Auaritiam siquidẽ radicem esse omnium malorum & lectio diuina testatur. Quæ tali sorte punita est ut cũ multa rapiat,semper egeat,Domitius itaq; uir specta-bilis,data uobis supplicatione, conquestus est, possessiones iuris sui,id est,Illã atq; illam,ab hominibus uestris, neglectis legibus,fuisse peruasas,Dũ ciuiliter oportuerit recipi, si iure uideatur exposci,sed quia de uobis non patimur diutius ob-scura iactari,qui generis claritate fulgetis, præsenti authori-tate censemus,ut imminente Guda Saione nostro,si momẽ-ti tempora suffragantur,occupata nuper cum omnibus quæ direpta sunt, supplicãti faciatis sine aliqua dilatione restitui. Et siquid partibus uestris de legibus creditis posse cõpetere, instructam personam ad nostrum Comitatum destinare uos conuenit, ut intentationibus partium sub æquitate discussis feratur sententia,quã iuris dictat autoritas. Hæc ad Theodo-hadum Amalæ gentis Illustrem uirum.

Mandatum Regis con-tra iniusti-tiã præfecti Prætorio.

Sed nec Fausto,præfecto prætorio,qui potestatis suæ am plitudine elatus,alteri iniuriam facere præsumebat,pepercit, Scripsit itaq; Grimodæ Saiani,et Ferrocincto Apparitori,in hæc uerba,inter gloriosas Reipub. curas,quas perpeti cogi-tatione, Deo auxiliante, reuoluimus, cordi nostro leuamen est humilium,ut contra potentiam superborum nostræ pie-tatis erigamus obstaculum. Nec liceat quicq; apud nos auda-datiæ,cuius est propositi,superba calcare. Castorij igitur fle-bili calamitate permoti,quem exitialis hactenus diuersorum pressit inuidia,occasionem præbuit salutaribus institutis , ut plus ualeret nostræ pietatis auxilium,quam iniqua calliditas improborũ. Atq; ideo præsenti autoritate decernimus. Vt si præfatus uir magnificus, Faustus,ea quæ Castorius possi-

debat

debat, uel titulis ingrauauit, uel priuata usurpatione detinuit mox ei prædium, cũ alio eiusdem meriti, uobis imminentibus, à peruasore reddatur, ut crudelibus damnis afflicto, pietatis nostræ remedio consulamus. Quod si posthac qualibet occasione sæpe memoratum Castoriũ natus ille artifex nocere tentauerit, Quinquaginta librarũ Auri multa protinus feriatur, sitq; maior cruciatibus pœna, respicere illæsum quẽ uidere desyderauit afflictum. Et factum, quod cunctas protinus tẽperet ac corrigat potestates. Prætorij præfectus bacchari non est in humilis læsione permissus, Et cui à nobis assurgitur officiendi potestas miseris abrogatur. Hinc omnes intelligant, quo amore delectamur æquitatis, ut & potentiã nostrorũ iudicum uelimus imminuere, quatenus bona cõscientiæ possimus augere.

Sunt & alia immunera eiusdẽ Regis pro iustitiæ & æquitatis obseruatione rescripta. In quibus uoluit proprijs quoq; commodis dispendium fieri potius, quam ut legum tenor et uigor in ullo deberẽt in obliquum á uia recta & regia detorqueri, sed hæc exempli gratia sufficiant.

DE SALVTARI PROVINCIArum gubernatione & publica subiectorum utilitate Cap. XII.

QVam diligenter prouiderit Rex iste commoditatibus ubiq; suorum tum in Italia tum in alijs prouincijs subiectorũ, ex multis supra recitatis eius Epistolis & rescriptis facile cognoscitur, ut tamen manifestius id unicuiq; pateat, libet alia quædam ea de re subijcere exempla, quæ uideãtur imitatione & laude digna.

Sic ergo scripsit uniuersis Prouincialibus Galliarum, quas

recens è manibus Francorũ eripuerat sibiq; subiugauerat. Libenter (inquit) parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti. Quia gratius ibi regressus est, ubi profectum uestros constat habuisse maiores. Atq; ideo in antiquã libertatẽ, Deo præstante, reuocati, uestimini moribus togatis, exuite barbariem, abijcite mentiũ crudelitatem. Quia sub æquitate nostri temporis non uos decet uiuere moribus alienis. Proinde de necessitatibus uestris innata nobis consuetudine cogitantes, quod fœliciter dictum sit, spectabilem uirum Gemellum, Vicarium præfectorum, side nobis et industria cõprobatum, ad componẽdã prouinciam credidimus dirigendum, sperantes, in nullo eum posse delinquere, qui nobis peccãtes grauiter intelligit displicere. Quapropter ordinationibus eius ex nostris iussionibus obedite. Quia eũ credimus uobis profutura decernere. Recipite paulatim iuridicos mores. Non sit nouitas molesta quæ proba est. Quid enim potest esse fœlicius, quam homines de solis legibus cõfidere, & casus reliquos nõ timere? Iura publica certissima sunt humanæ uitæ solatia, infirmorum auxilia, potentũ frena. Amate, unde & securitas uenit, & conscientia proficit.

Exhortatio subiectorũ ad Ro. ciuitatem.

Sic & Seueriano uiro Illustri scripsit, ut Suauiæ prouincialibus rectius prospiceret, in hæc uerba. Iusticiæ ratio persuadet, excedẽtes reprimere, ut ad cunctos possit quietis suauitas peruenire. Nam quemadmodum æquabilitas agitur, si uires mediocrium consurgere non sinantur? Prouincialiũ itaq; nostrorũ sępius querela cõperimus, possessores Idoneos Suauiæ nõ solum causarum suarum tributariam functionẽ in tenuẽ resilisse fortunam, uerum etiam scelerata cõmertia aliquid exinde suis applicare compendijs, ut functio publica commoditas sit priuata. Hoc quidem per plurimos desyderauimus corrigi, sed hactenus in tuã laudem uidetur potuisse

Suauia in superiori uidetur esse Pannonia, Quam Ptolomeus Sauariã uocat

differri

Quatenus fides haberetur acceptior, quando post multos neglectus, studium uestrum efficacissime comprobatis. Atq; ideo prudentia, qua natus es, uniuersum possessorem, consyderata iustitia, te iubemus inspicere, & æquabilitatem trbuti hac ratione moderari, ut quæ sub alijs facta est omnium redemptione cassata, pro possessionum atq; hominũ qualitate Assis publicus imponatur. Sic enim & iustitia perficitur, & uires nostrorum prouincialiũ subleuantur. Eos autem, quos sine iussione nostra censum imposuisse constiterit, & pro libito suo quorundam onera in alios proiecerunt, legum seueritas insequatur, ut omnia illis detrimẽta sartiant, quibus incompetenter damna fecerunt.

Aequabilitas tributi.

Similiter scripsit de Hispania rectius ordinanda Illustribus uiris Ampelio & Liueriæ, in hunc modum. Decet prouincias, regno nostro, Deo auxiliante subiectas, legibus & bonis moribus ordinari. Quia illa uita uere hominum est, quæ iuris ordine continetur. Nam beluarũ ritus est, sub casu uiuere. Quæ dũ rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbũt. Agrum suum deniq; à dumosis sentibus doctus purgat Agricola, quia laus excolentis est, si agreste solum dulcissimis fructibus amœnetur. Si quies suauissima populi, & tranquilla dispositio regionum, præconiũ probatur esse regnantium. Multorum itaq; querela comperimus, in prouincia Hispaniæ, quod summum inter mortales crimẽ est, uitas hominum uaga præsumptione populari, & leuium occasione causarum subire multos interitum, sic mala pace quasi ludo corruunt, quanti uix potuissent cadere sub necessitate bellorum. Dehinc nõ Polipticis publicis, ut moris est, sed arbitrio cõpulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ. Quod genus euidentis est prædæ, pro illius uoluntate dare, qui ad suum commodum amplius festinat exigere. Cui rei nos Regali prouidentia succurrere cupientes,

Hispaniæ prouĩcia Regi Theoderico subiecta.

Kk ij sublimitatem

sublimitatem uestram per uniuersam Hispaniam loco muneris credidimus destinandam. Vt sub ordinationis nostræ nouitate, inueteratæ possit consuetudini nil licere.

Et post multa. Exactorum quoq; licentiã fertur amplius à prouincialibus extorqueri, quam nostro cubiculo constat inferri. Quod diligenti examinatione discussum, ad hũc uos modum functiones publicas reuocare decernimus, quẽ Alarici atq; Eurici temporibus constat illatas.

Officium rectoris prouinciæ.

Deniq; in generali Rectoris prouinciæ formula, inter alia sic scribit. Respice quantum dederint leges, & ad mensuram te potestatis extende. Tibi fiscalium tributorũ credita monstratur exactio, Constat esse tuæ fidei commissum, principi renunciare, quid in prouincijs probatur emergere. Tu etiã senatorẽ, ibidem residentem, iuberis audire. Tu in Præfectorum militem cum ipsius tantum conscientia uindicare, tuũ nomen in scriptionibus iusserunt Honoratis prouincialibus anteferri. Quid de te æstimatũ sit, datur aduerti, cui tot uidentur nobiles potuisse postponi. Additur, quod à principe frater uocaris, ut nobilitate præciosi nominis à uilitate criminũ tollereris. Cogita tantorũ hominũ tibi cõmissas esse fortunas, fama erunt nostri temporis tui mores. Esto uitæ continens, ut possis in alios esse iudex. Prima æquitas est à se præsules inchoare, ut debeant criminosi metuere, quem nequeunt similem reperire.

Hæc sunt nimirũ certa paternæ curæ boni principis erga subditos suos testimonia, per quæ declaratur, quãta sit subiectorum fœlicitas, tali subesse principi.

DE BELLORVM PERITIA & armata defensione Cap. XIII.

Quantus

Quantus in armis fuerit Rex Theodericus, ex supra dictis notum est, qui etiam iuuenis tot ferocissimarum gentium, ut Sarmatarum, Bulgarorum, Gepidarum & Herulorum, Victor extiterit. Victo autem Odoacre sic formidabilis mox fuit in Aphrica Vandalis (sicut in libello de Cõsulibus testatur Cassiodorus) ut illi pace suppliciter postulata, à Siciliæ solita deprædatione mox cessauerint. Quãtas autem prouincias per suos præfectos Ducesq; & Comites, post adeptam Italiam, subiecerit regno suo, ex supra dictis lector conijcere potest, ubi de Hispania, Galliaq; et Suauia recitata sunt exempla. Non solum uero cunctas Italiæ prouincias (nulla prorsus excepta) sibi subiectas habuit, uerum etiã subiecit sibi bonam & Galliarum & Hispaniarum partem, Siciliam item cum alijs Italiæ adiacẽtibus Insulis, Dalmatiã præterea & Istriam Pannoniamq; Syrmiensem. Multæ sub Theo. prouinciæ.

De hac sane elegans extat inter Cassiodori Epistolas rescriptum eius, quo commendat eam prouinciam Colossæo uiro Illustri, in hæc uerba. Iuuat probatis ordinanda mandare, siquidem & de talibus iudicium gaudet eligentis et eorum secura substantia est, quæ committitur approbatis. Nam ut optamus esse qui placeat, ita curamus, ut qui placuerit, enitescat. Proinde prosperis iniciatus auspicijs, ad Syrmiensem Pannoniam, quandã sedem Gothorũ, proficiscere, Illustris cinguli dignitate præcinctus, commissamq; tibi prouinciam armis protege, iure cõpone, Vt antiquos defensores recipere læta possit, quæ se nostris parentibus fœliciter paruisse cognoscit. Nosti, qua te nobis conuersationis synceritate commendes. Sola tibi placendi uia est, si quæ gerimus, imiteris. Aequitati faue, Innocentiam animi uirtute defende, ut inter Nationũ consuetudinem peruersam, Gothorum possis demonstrare iustitiam. Qui sic semper fuerunt in laudis medio constituti, ut et Romanorũ prudentiam caperent, & uirtutẽ Pannonia Syrmiensis Gothorum olim sedes.

 gentium

gentium possiderent. Remoue consuetudines abominanter inolitas, uerbis ibi potius nō armis causa tractetur. Hæc ibi.

Quam prouidus Rex circa res bellicas.

Quam prouidus autē fuerit iste Princeps in tutandis totius Regni sui finibus, & in cōseruanda ubiq; disciplina militari, atq; in præparandis armis machinisq; & munitionibus, & in exercitandis ad res bellicas militibus in tempore pacis, in commeatibus deniq; ad expeditionem certo tempore disponendis, prudens lector ex Cassiodori Epistolis facile cognoscet. De quibus sane rebus nos hic pauca breuiter cōmemorabimus exempla.

Munitiones Italiæ.

Etenim ad Italiæ munitionem, contra barbarorum per Alpium transitus irruptiones, excitauit quædā munitissima castella, circa Dertonam, Tridentū & Aquilegiam. De quibus extant certa illius rescripta, & de quibus etiam historici testantur, & testatur ipsa rerum experiētia. Vsq; adeo n. tuta à barbarorum incursionibus fuit illius temporibus Italia, ut paucos reperias Imperatores, qui ante ipsum fuerūt, sub quibus tranquillior pax per omnem Italiam fuerit conseruata.

Tridentum à The. muro cinctū.

Etenim muro circumdaturus Tridentum, sic scripsit possessoribus Feltrinis. Necessitas publica, multorum debet deuotione cōpleri. Quia non decet paucos suscipere, quod constat plurimis expedire, ne Regia iussa tepefacta lentescant, dum res utilis delegatur infirmis. In Tridentina igitur regione ciuitatē construi nostra præcepit authoritas. Sed quia territorij paruitas magnitudinem operis sustinere non potest, hoc sollicitudo nostra prospexit, ut acceptis mercedibus cōpetentibus, pedaturam murorū omnes in cōmune subeatis, qui uicinitate iungimini, Quatenus accommadato solatio securius impleatur, quod paucis inexplicabile fortasse cognoscitur. Hac conditione scilicet, ut nullus ab his oneribus excusetur, unde nec diuina domus excipitur.

Cæterum ubi in Gallias missurus esset exercitū, sic scripsit

cōmune

commune Edictum ad uniuersos Gothos. Innotescēda sunt magis Gothis quam suadenda certamina. Quia bellicosæ stirpi est gaudium cōprobari. Laborem quippe nō refugit, qui uirtutis gloriam concupiscit. Et ideo iuuante Deo, quo authore omnia prosperantur, pro communi utilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare, ut simul & uos profectus occasionem habere possitis, & nos quæ præstitimus, meritis contulisse uideamur. Latet enim sub ocio laudabilis fortitudo, Et dum se probandi non habet spacium, occulta est lux tota meritorū. Atq; ideo Pernandiū, Saionē nostrū, admouendum curauimus, ut ad expeditionē, in Dei nomine, more solito, armis, equis, rebusq; omnibus necessarijs sufficienter instructi, Octauo die Calendarum Iuliarum proxime ueniente, modis omnibus Deo fauente moueatis, & nostrā peragatis fœliciter iussionē. Producite iuuenes uestros in Martiam disciplinam. Sub uobis uideant, quod posteris referre contendant. Nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur. Expeditio Gothorum contra Gallias.

De armorum autem preparatione sic scripsit Assio Comiti Dalmatiæ. Ordinatio nostra non debet per moram impediri. Ne quod salubriter constat esse dispositum, per tarditatis uicium incurrat obstaculum. Et ideo ante distribuenda sunt arma, quā possit flagitare necessitas, ut cum ea tempus exegerit, paratiores ad imperata sufficiant. Ars enim bellandi, si non præluditur, cum necessaria fuerit, non habetur, proinde Illustris sublimitas tua Salonitanis militibus, ut cuiq; se expediēdi facultas obtulerit, pro nostra iussione arma necessaria procurabit. Quia fida Reipub. salus est defensor armatus. Discat miles in ocio, quid proficere possit in bello. Animos subito ad arma nō erigunt, nisi qui se ad ipsa Idoneos, præmissa exercitatione, confidunt. Armorum preparatio.

Quam pius uero & liberalis erga deuictos prouinciales,

bello

bello recens subiugatos fuerit Rex iste, ex breuibus quibusdã in bello Gallico rescriptis liquido cognosci potest. Hæc enĩ sunt uerba eius ad uniuersos prouinciales in Gallia cõstitutos. Vobis (inquit) hostili ferocitate uastatis, pro qualitate læsionis per indictionem Quartam relaxatam agnoscite tributariam functionem. Quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor afferre. Ita tamen ut de illis quæ cõstat intacta, exercituales iuuentur expensæ. Quia illos in totum deuotio non debet deserere, quos pro se laborare cognoscit, inualidus est siquidẽ ieiunus defensor, nec animus ministrat audaciam, cum uirtus corporis fuerit destituta.

Pius et liberalis in uictos Rex Theo.

Et rursus ad eosdem. Vt nec nimia (inquit) possessores illatione grauentur, ex Italia destinauimus exercituales expensas. Vt ad defensionem uestrã directus exercitus, nostris humanitatibus aleretur, solumq; auxilium prouinciæ de tam magna congregatione sentirent. Ducibus etiam ac præpositis sufficientem trãsmisimus pecuniæ quantitatem, ut corũ præbendæ quæ non potuerunt conuehi, ibi debuissent sine alicuius dispẽdio cõparari. Quia delectui nostro nec illa uoluimus imponere, quæ uos potuistis (ut arbitramur) offerre.

Et ad Vnigim Spatariũ in proxima post epistola sic scripsit, Aliorum forte Regum prælia captarum ciuitatum aut prædas appetunt aut ruinas. Nobis propositum est, Deo iuuãte, sic uincere; ut subiecti se doleant, nostrum dominium tardius acquisisse.

Et rursus in proxima post Epistola uniuersis possessoribus Arelatensibus ita scripsit. Quamuis primũ sit, læsos incolas refouere, & in hominibus magis signum pietatis ostendere, tamen utrumq; humanitas nostra coniungit. Vt & largitatis remedio ciuibus consulamus, & ad cultum reducere antiqua mœnia festinemus. Sic enim fiet, ut fortuna urbis, quæ in ciuibus erigitur, fabricarũ quoq; decore monstretur,

Pro

Pro reparatione itaq; murorum Arelatenſium uel turrium uetuſtarum certam pecuniæ direximus quantitatem. Victua lia quoq;, quæ ueſtras releuare uideantur expenſas, fecimus præparari, ut uobis deſtinentur, cum tempus nauigationis arriſerit. Releuate nunc omnes, & de noſtra prouiſione recreati, futuræ copiæ ſpem tenentes, diuino fauore habetote fiduciam. Quia nō minus eſt, quod noſtris uerbis, quā quod horreis continetur.

Reparatio murorum Arelatēſiū

Quantum uero in ſtipendiū militibus extraneis dare ſolitus fuerit, breui quodā ad Gepidas in Gallias à ſe deſtinatos Epiſtolio declarat, in hæc ſane uerba. Fuerat quidē diſpoſitionis noſtræ, ut uobis iter agentibus, annonas iuberemmus expendi. Sed ne ſpecies ipſæ aut corruptæ aut difficile præberentur, in auro uobis Tres ſolidos per hebdomadam eligimus deſtinare. Vt & manſiones uobis, pro ut herbarū copia ſuppetit, poſſitis eligere, & quod uobis eſt aptū, magis emere debeatis. Nam & poſſeſſorem hæc res occurrere facit, ſi uos neceſſaria comparare cognoſcit. Monete fœliciter, ite moderati. Tale ſit iter ueſtrum, quale debet eſſe qui laborant pro ſalute cunctorum.

Stipēdium in auro tres ſolidi per hebdomadam.

De eiſdem quoq; ad Veranum Saionem, inter cætera ſic ſcripſit, Deuotioni tuæ præſenti authoritate delegamus, ut multitudinem Gepidarum, quam fecimus ad Gallias, cuſtodiæ cauſa, properare, per Venetiam atq; Liguriam ſub omni facias moderatione trāſire. Quibus ne aliqua excedendi præberetur occaſio, per unā quāq; hebdomadā ſumptus eis Tres ſolidos largitas noſtra direxit. Vt illis cū prouincialibus noſtris non rapiendi uotum, ſed cōmercij ſit facultas. Illud plane pro cunctorū quiete laborantibus indulgentia noſtra cōcedit. Vt ſi aut eorū carpēta, itinere longiore quaſſantur, aut animalia attrita lāgueſcūt, te cuſtode atq; mediāte, cū poſſeſſoribus ſine aliqua oppreſſione mutētur. Vt qui daturi ſunt

Aequitas inter milites et poſſeſſores cuſtodiēda.

corpore aut qualitate meliora, quamuis paruis sanis animalibus acquiescant. Quia incerta est uita eorum, quae nimia fatigatione lassantur. Ita fit, ut nec illis desit subuectio necessaria, & nullus se laesum tali permutatione cognoscat.

DE REGALI THEODERICI Regis Magnificentia Cap. XIIII.

Excellentia regis Theo.

QVanta fuerit huius Regis Magnificētia in structuris & operibus, tum nouis exornandis, tum ueteribus reparandis, magna ex parte supra cōmemoratū est, praesertim in ijs quae Romae & Rauennae fieri curauit. Quanta in palatio & in comitatu eius fuerit magnificētia, ex Sydonij epistola & ex quibusdam eius rescriptis conijcere licet. Quanta insuper in donis et legationibus ad diuersos reges & principes, partim ex historijs, partim ex eius rescriptis cognoscitur. Nullus enim eo tempore Regum aut principum per uniuersam Europam illo uel potentia maior, uel armis clarior, uel fama celebratior, aut opibus affluentior, aut gratia atque authoritate apud omnes ualentior, aut sapientiae opinione illustrior. Nos hic pauca, Antiquitatis illustrandae amore, exempla recitabimus, quae prolixitate lectorem non grauent.

Verba Cassiodori in libello de Cōsulibus.

Refert in libello de Cōsulibus Cassiodorus senator, quod proximo anno post ipsius Cassiodori consulatum, Florentino et Anthemio C O S S. Rex Theodericus, filiam suam, Dominam Amalasumtam, gloriosi uiri, Domini Eutharici Cillicae (quem ex regali Balthorum Gothicae gentis familia ex Hispanijs inspem & successionem regni euocauerat) matrimonio copulauerit. Et mox subsequenti anno, eundem Eutharicum cōsulem designatum Romam miserit, qui mirabili gratia senatus & plebis exceptus fuerit ad edendum foeliciter cōsulatū. Itaque D. N. Eutharico Cillica & Iustino

Aug.

Aug. C O S S. Multa uidit Romæ miracula æditionibus singulis, stupente etiam Symmacho, Orientis Legato, diuitias, Gothis Romanisq; donatas. Dignitates cessit in Curia, Muneribus Amphitheatralibus diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate miraretur, exhibuit. Cuius spectaculi uoluptates, etiã exquisitas Aphrica sub deuotione transmisit. Cunctis itaq; eximia laude cõpletis, tãto amore ciuibus Romanis insederat, ut eius adhuc præsentiam desyderantibus, Rauennã ad gloriosi patris remearet aspectus, Vbi iteratis æditionibus tanta Gothis Romanisq; dona largitus est, ut solus potuerit superare quem Romæ celebrauerat Consulatum. Hæc ibi Cassiodorus.

Qui & in Epistolis quandã erga Herulorũ regem (cuius nomen non exprimitur) Theoderici magnificentiam, relatu dignam cõmemorat. Sic enim scripsit ad illum Rex Theodericus. Per arma fieri posse filium, grande inter gentes constat esse præconium. Quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci, in sobole frequenter fallimur, ignaui autẽ esse nesciunt, quos iudicia pepererunt. Hi enim gratiam, nõ de natura, sed de solis meritis habent, quãdo uinculo animi obligãtur extranei. Et tanta in hoc actu uis est, ut prius se uelint mori, quam aliquid asperum patribus uideantur infligi. Et ideo more gentium & conditione uirili, filium te præsenti munere procreamus, ut cõpetenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris. Damus quidem tibi Equos, Enses, Clypeos et reliqua Instrumenta bellorum, sed quæ sunt omnimodis fortiora. Largimur tibi nostra iudicia. Summus enim inter gentes esse crederis, qui Theoderici sententia cõprobaris. Summe itaq; arma, mihi, tibiq; profutura. Illeá te deuotionem petit, qui te magis defensare disponit. Probat tuum animum, & opus nõ habebit obsequiũ. Adoptat te talis, de cuius gente tu potius formideris. Nota sunt

Adoptio Regis Herulorũ per arma.

enim Herulis Gothorũ, deo iuuante, solacia. Nos arma tibi dedimus, gentes autem olim uirtutũ pignora præstiterunt. Hæc ad ipsum Herulorum regem.

Humanitas Theo. erga Legatos Herulorũ.

Vbi autem illius postea Legati essent in itinere ad ipsum regem Theodericum, scripsit breuem epistolam Comitibus, Defensoribus & Curialibus Ticinẽsis ciuitatis in hæc uerba. Ad comitatum supplices Herulos, authore Deo, nostris uenire iussimus constitutis. Quibus nauis est præbenda subuectio, ne in patria nostra adhuc prouinciæ suæ laborare uideantur inopia. Itaq; præsenti iussione cõmoniti, & nauis eis usum usq; ad Rauennatẽ urbem, et annonas dierũ Quinq;, sine aliqua dilatione præstate. Nec aliquid eis necessariũ deesse faciatis, Quatinus prouinciam se deseruisse ieiunam de copiæ inuẽtione cognoscant, sitq; illis uberior peregrina terra quam patria.

Regalis mẽsa Theo.

Quam magnificus uero fuerit mensæ Regalis apparatus in palatio, ex formula Comitiuæ patrimonij facile cõijcitur, ubi inter cætera sic loquitur Rex ad eiusmodi comitẽ, Trade etiam militibus tuis quam sectare delegeris animi castitatẽ. Quomodo ille iustus potest dici, sub quo non prohibeatur excedi? Vtere igitur authore Deo concesso tibi fœliciter priuilegio dignitatis, Incitet te ad bonorum desyderium, sepissime quod uideris, quia in his quæ feceris, iudex & testis ero. Nam et si epulas nostras sollicita ordinatione disponas, non solũ nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est reddaris eximius. Legati pene ex tota Orbis parte uenientes, cum nostris cœperint interesse cõuiuijs, admirantur copiose repertum, quod in patria sua norunt esse rarissimum. Stupent etiã abundantiam unius mensæ, tantas seruientium turbas posse satiare, ut iudicent consumpta recrescere, unde tantæ quæ probantur exire. Habent nimirum in sua patria quod loquãtur, dum parentibus suis dicere gestiunt quæ uiderunt, sic

propemodum.

propemodũ in toto Mundo celeberrimus redditur, qui pro- uidus nostris apparatibus inuenitur. Adde, quod tempora nostræ lætitiæ, secretaria tua sunt. Cũ pectus redditur curis alienum, & tunc tibi tribuitur suggerendi locus, quando cunctis adimitur. Merito ut qui es iudex tanti apparatus et epularũ, delinitus cibis tibi animus cõcedatur. Hæc ibi.

De magnificentia uero et uarietate regalium donationum differit idem rex in formula Comitiuæ sacrarum largitionũ, In hæc uerba. Donis præsidere Regalibus Comitiuã sacra- rum largitionum, iudicia rerum uerba testantur. Quod uere decorum, uere fuit omnimodis exquisitum, in donorum re- galium parte sequestratam facere dignitatem, & alterius ho- norẽ dicere, dum nos constet dona cõferre. Actus innocens, pietatis officium. Illud semper ingerere, unde se fama princi- pis possit augere, Regalibus magna profecto fœlicitas, mili- tare donis. Et dignitatẽ habere de publica largitate. Alij iu- dices obtemperant residuis uirtutibus regnatoris, hæc sola est, quæ tantũmodo seruiat ad momenta pietatis. Nihil enim per ipsam districtum geritur, nil Seuerũ forte censetur, sed tunc obsequitur, quando pro nobis uota funduntur. *Magnificẽtia Theo. in donatiõib.*

Supplicum per te fortunas erigimus. Calendis Ianuarijs affatim dona largimur, et lætitia publica militia tua est. Verũ hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, Vt figura uultus nostri metallis usualibus imprimatur, Monetãq; facis de nostris tẽporibus futura sæcula cõmonere. Et post pau- ca. Vestis quoq; sacra tibi antiquitus noscitur fuisse cõmissa. Qui quod ad splendorem Regum pertinet, tuis minus ordi- nationibus obediret. Curas quoq; littorum aduenticia lucri prouisione cõmittis. Negociatores, quos humanæ uitæ cõ- stat necessarios, huic potestati manifestũ est esse subiectos. Nam quicquid in uestibus, quicquid in ære, quicquid in ar- gento, quicquid in gemmis ambitio humana potest habere *Officium Comitis sacrarum largitionum.*

præciosum, tuis ordinationibus obsecũdat. Et ad iudicium tuum confluũt, qui de extremis Mundi partibus aduenere. Salis quoq; cõmercium inter uestes sericas & præciosissimã margaritam non inepte tibi deputauit Antiquitas, ut sapientiam tuam euidenter ostenderet, cui talis species deputata seruiret.

DE EFFICACIBVS REGIS *Theo. mãdatis et ordinationibus Cap. XV.*

Sapientia iubentis.

AVthoritas & sapientia huius regis longe clarius ex eius Rescriptis, quam ex Historiarũ lectione cognoscitur. Quicquid sane ulli uel magno uel paruo Magistratui, aut cuiuslibet conditionis subdito mandauit, mox omni conatu & studio ad effectum & executionem perductum obediẽter fuit. Authoritas enim eius omnibus reuerentiæ fuit. Sapientia autem ipsius ita omnia disponebat, ut nulli foret impossibile ipsius mandatũ, nec importabile aut dispendiosum executionis onus, Ad imitationem nimirum (quantũ humanæ fas est infirmitati) æternæ illius sapientiæ, quæ attingit à fine usq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter.

Sap. 8. c.

Obedientia Exercitus.

Vnde factum est, ut iussa huius regis aut nunq̃ aut rarissime uacua domum redierint. Quocunq; iussit ire Exercitũ, iuit, certo & stato die præfixo, & cum uictoria reuersus est, quantumuis potens & bellicosus esset Rex aut populus, cõtra quẽ ire iusserat. Nulla sub eo expeditio militaris in uanũ cecidit, nulla profectio cassa aut irrita, nullæ in milites inutiliter factæ expensæ: Adeo prudenter sciuit Rex iste uiam modum & formam, qua effici possi quod mandauerat, & nusquam deerat facultas & opulentia, per quã poterat finem, quem intendebat, attingere. Id quod facilius

credet

credet lector, ubi aliquot ex ipsius Rescriptis recitauero exempla.

Etenim cum nō haberet Italia nauium copiam, praecepit Abundantio, Praefecto Praetorij, ut disponeret. In haec sane uerba. Quamuis utilia Reipub. nostra semper consuetudine censeamus, & ob id omnibus possint esse gratissima quae iubemus, quia cunctis profutura noscuntur, Tractandum tamē est, ut principis desyderiū nulli existere debeat onerosum. Nā etsi praeclara cogitata non bene agantur, ingrata sunt, Illud autē solumodo perfectum dicitur, quod de uoluntate simul & actione laudatur. Cum nostrū igitur animum frequens cura pulsaret, Naues Italiā non habere, ubi tanta lignorum copia suffragatur, ut alijs quoq; prouincijs expetita transmittat, Deo nobis inspirāte, decreuimus, Mille interim Dromones fabricandos assumere, Qui & frumenta publica possint cōuehere, & aduersis nauibus, si necesse fuerit, obuiare. Sed tantae rei, quem desyderamus, effectū magnitudinis uestrae sollicitudine credimus esse procurandum. Ideoq; per cunctā Italiā directis artificibus apta operi ligna perquire. Et sicubi Cupressos aut Pinos reppereris, in uicinitate littoris, dato competenti praecio, dominis cōsulatur. Haec enim tantum sunt, quae ad taxationem uocentur, caetera uilitate sui non indigent aestimari. Sed ne prouisio nostra in medijs conatibus deserta languescat, Nautarum te iubemus sub moderatione iam nunc cōpetentē numerum, Deitate iuuante, procurare.

Mandatum de Mille parandis in Italia Dromonibus.

Hoc Regis mandatum ita celeriter effectui mancipatum fuit, ut mox in proxime sequenti Epistola eidem Abundantio in haec uerba rescripserit. Alacriter in cumbendum est inchoatis, cum iam uicinitas perfectionis arriserit. Quando spes effectus, taedium laboris excludit, & magnum genus incitamenti, credere desyderata compleri.

Velox mādati executio:

Dudum

Dudum igitur magnitudini uestræ ex Italiæ littoribus offi-cia iussimus præparare Nautarum, ut Dromones, quos in-dustria fabricare ualuisset, manus remigum prouisa suscipe-ret. Sed tu iudicio nostro electioniq; respondens, ostendisti, quam fuerit indubitata perfectio efficacissimis imperasse, quod quæritur, Renuncias illico completū, quod uix credi poterat inchoatū. Vt pene quanta uelocitate nauigari solet, constructio nauium tanta sit celeritate completa.

Nauium utilitas.

Nec solum uerba narrata sunt. Obtulisti oculis nostris su-bito Classeam syluam, domus aquatiles, exercituales pedes qui nullo labore deficiant, sed inconcussos homines ad desti-nata perducant, Triremeuehiculum, remorum tantum nu-merum prodens, sed hominū facies diligenter abscondens. Hoc primum instituisse legimus Argonautas. Quod & ar-matis aptum, & congruum probatur esse cōmercijs. Vt qui peregrinas Classes optabamus aspicere, nunc mittamus alijs prouincijs et terrorem pariter et decorem. Ornasti Rempub. tua institutione reparatam. Non habet quod nobis Græcus imputet, aut Apher insultet. Illud apud nos inuidi uigere re-spiciunt, unde illi permagna prætia sua uota cōplebant.

Velorū cō-moditas.

Nunc prædictis rebus armamēta procura, uela præcipue, alas nauium facientia, linum uolatile, quidam spiritus cur-rentium carinarum, prænuncia merciū, auxilia quieta nau-tarum. Quorum beneficio conficiunt ociosi, quod à celerri-mis auibus uix probatur impleri.

Aliud mā-datum.

Et rursus ad eundē abundantium Præf. Præt. aliud scrip-sit de alia re mādatū, quod utiq; is absq; omni dilatione mox complere festinauit. Tatanem (inquit) Saionem nostrum cum Sagittarijs ad Illustrem uirum, Comitem Iulianum, æstimauimus esse dirigendum, ut maius sumeret robur du-plicatus exercitus. Ostendent Iuuenes nostri bellis, quod in Gymnasio didicere uirtutis. Schola Martia mittat examina,

pugnaturus

pugnaturus ludo, qui se exercere consueuit in ocio. Atq; ideo Illustrem magnitudinem tuam eis annonas et nauigia secundum consuetudinem præbere censemus, Quatenus iuuante Deo, quo directi sunt, debeant peruenire. Vestræ enim sollicitudini damus nostrarum efficatiam iussionum, Quia nullatenus destitui posse creditur, quod Deo iuuante tuis ordinationibus inchoatur.

Et rursus in alio mandato sic scripsit uniuersis Gothis per Picenum & Samnium costitutis. Quamuis munificentia (inquit) nostra sit omnibus ubiq; gratissima, multo tamen acceptiora credimus, quæ nostri præsentia cōferuntur. Quia maiora de conspectu principis populi sumunt, quam de largitate beneficia consequntur. Nam pene similis est mortuo, qui à suo Dominãte nescitur. Nec sub aliquo honore uiuit, quē Regis sui noticia non defendit. Et ideo præsenti iussione mandamus, ut Octauo Iduum Iuniarum die, Deo auxiliante, ad præsentiam nostram uenire debeatis, qui solenniter regalia dona suscipitis, si uenire protinus festinatis. Illud tamen necessario cōmonentes, ut uenientium nullus prouenire possit excessus, nec possessorū segetes aut prata uastetis, sed sub omni continentia properantes, de custodita disciplina, grata nobis esse uestra occursio possit. Quia ideo exercituales gratanter subimus expensas, ut ab armatis custodiatur intacta ciuilitas. Mandatum ad Gothos ut corā Rege certo die cōpareant.

Est & aliud lectu dignum huius regis mandatū, de custodiendis & recte utendis Equis Veredarijs, qui ad publicum cursum erant ab eo per diuersa loca deputati. De quibus sane sic scripsit Mannilæ Saioni. Laudabile est, in illa parte geminare custodiam, quam cōstat Reipub. necessitatibus exquisitam. Per hanc enim & Legationum utilitas, & ordinationum nostrarum celeritas explicatur. Hæc & Aulicis potestatibus per uarias iussiones ministrat effectū, hæc crebris Mandatum de Equis ueredarijs.

Mm illationibus

fillationibus noſtrum ditat ærariũ, ut pene quicquid in Re-
pub. geritur, curſuali miniſterio compleatur. Decet proinde
ſemper eſſe paratum, quod utilitatibus publicis probatur ac-
commodum. Ne quod ad celeritatem repertum eſt, incon-
gruam potius feſtinantibus inferat tarditaté. Atq; ideo Præ-
fecti prætorio & Magiſtri Officiorum, ubi pro publica uti-
litate delegerint, ordinatione locatus, excedentium improbã
præſumptionem tali te præcipimus diſtrictione reſecare, ut ſi
ue Gothus ſit aut Romanus, qui ſine noſtra uel eorum, quo-
rum intereſt, euectione Veredum præſumit attingere, per
unum equum Centum ſtatim ſolidos à te cogatur exoluere.
Et de illis quoq; pari ſeueritate cẽſemus qui ſupra euectionũ
numerum curſuales equos uſurpare præſumunt. Parhippis
quinetiam non ultra quam Centũ libras iubemus imponi.
Nimis enim abſurdum eſt, ut à quo celeritas exigitur, mag-
nis ponderibus opprimatur.

Mandatum ad præfectũ urbis.

Eſt deniq; & hoc regis huius mandatũ, quod ad Agapitũ
præfectum urbis ſcripſit, cõſyderatione ac lectu haud indig
num. Decet principem (inquit) cura, quæ ad Rempub. ſpe-
ctat augendã, & uere dignũ eſt, Regem ædificijs palatia de-
corare. Abſit enim ut ornatui cedamus ueterũ, qui impares
non ſumus beatitudine ſæculorum. Quapropter in Rauen-
nate urbe Baſilicæ Herculis amplum opus agreſſi, Cuius no-
mini Antiquitas congrue tribuit quicquid in Aula prædi-
cabili admiratione fundauit, Magnitudini tuæ ſtudioſiſſi-
me delegamus, ut ſecundum Breue ſubter annexum, de urbe
nobis Marmorarios peritiſſimos deſtinetis, qui eximie diui-
ſa coniungant, & uenis colludentibus illigata, naturalem fa-
ciem laudabiliter metiantur, De arte ueniat quod uincat na-
turam. Diſcolorea cruſta marmorũ gratiſſima picturarum
uarietate texantur. Quia illud eſt ſemper in præcium, quod
ad decorem fuerit exquiſitum. His ſumptus ſubuentioneſq;
præſtabis,

præstabis, ne quemq; nostrum grauet imperium, quod ad utilitatem uolumus respicere singulorum.,

DE STVDIO PACIS INTER Reges conseruandæ Cap. XVI.

QVamuis nullus Regum illo tempore esset uel bellorũ peritior, uel armis & facultatibus potentior hoc rege Gothorum, nemo tamem ex omnibus uisus est pacis amantior aut studiosior, quippe, mox ab initio adepti regni Italici sategit diuersis affinitatum coniũctionibus (ut dictum est) uicinos ad pacẽ sibi reges deuincire. Cum autẽ Rex Francorum Clodoneus, (quem Cassiodorus in Epistolis Luduin, Paulus Aemylius Veronensis à Baptismo Ludouicũ uocat) & animo ferox, & bellicis uictorijs clarus, opibusq; et uiribus potens, indies magis magisq; bellorũ successibus augeretur, Theodericus Rex crebris admonitionibus per literas & Legatos, iure affinitatis fretus, illum ad mitiora hortabatur.

Deuictis igitur magno & ancipiti prælio Alemannis à rege Clodoneo, interfecto eorum rege atq; ingenti Nobiliũ numero, eliquiæ illorum in fines regis Theoderici confugerunt, pro quibus uictori reconciliandis Legatos et literas misit Rex Theodericus, in hæc uerba. Luduin Regi Francorũ Theodericus Rex. Gloriosa quidem uestræ uirtutis affinitate gratulamur, quod gentem Francorum prisca ætate residẽ, fœliciter in noua prælia concitastis, & Alemãnicos populos causis fortioribus inclinatos, uictrici dextra subdidistis. Sed quoniam semper in authoribus perfidiæ resecabilis uidetur excessus, quia ex primariorum plectibili culpa omniũ debet esse uindicta, motus uestros in fessas reliquias tẽperate, quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum uestrorum

Intercessio Thode. pro Alemannis apud Regẽ Frãcorum.

 defensionem

defenſionem reſpicitis confugiſſe. Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celātur exterriti. Memorabilis triūphus eſt, Alemannum acerrimum ſic expauiſſe, ut tibi eum cogas de uitæ munere ſupplicare. Sufficiat illum regem cū gentis ſuæ ſuperbia cecidiſſe, ſufficiat innumerabilem Natione, partim ferro, partim ſeruitio ſubiugatam. Nam ſi cum reliquis confliges, adhuc cunctos ſuperaſſe non crederis. In talibus cauſis accipe frequenter expertum, illa mihi fœliciter bella prouenerūt, quæ moderato fine peracta ſunt. Is enī uincit aſſidue, qui nouit omnia tēperare. Dū iucunda proſperitas illis potius blanditur, qui auſteritate nimia nō rigeſcunt, Cede itaq; ſuauiter Genio noſtro, quod ſibi gentilitas communi remittere conſueuit exemplo. Sic enim fit, ut & meis petitionibus ſatiſfeciſſe uideamini, nec ſitis ſolliciti ex illa parte, quam ad nos cognoſcitis pertinere. Quocirca ſalutātes honore et affectione, qua dignum eſt, Illum et illum Legatos noſtros ad, Excellentiam ueſtrā, cōſueta charitate direximus, per quos & ſoſpitatis ueſtræ indicium, & ſperatæ petitionis cōſequamur effectum. Hanc Theoderici regis Epiſtolam in elegantiorem ſtyli formam redactam recitat quoq; Paulus Aemilius, quam hic repetere non uidetur neceſſarium, Referemus autem Regis Clodonei potius reſponſum ex eodem Paulo Aemilio, quod inter Caſſiodori Epiſtolas non inuenitur. In hęc igitur uerba Clodoneum reſpondiſſe affirmat.

Reſpōſum Clodonei ad Theo.

Meam de Alemannis uictoriam, non minus piam quam fœlicem tibi uideri gaudeo, agnoſcoq; & beneuolentiam & humanitatem tuam, quod prius naturæ meæ dederā, ut Alemannis uictis ignoſcerem, nunc honoris tui cauſa eorum ſeceſſioni defectioniq; ignoſco. Tibiq; eo magis debebūt, quod qui ſemel uita donati, continuoq; ad furorem reuoluti, nullā ſibi ſpem iterum impetrandæ ueniæ reliquiſſent. De illis te agente nulla piacula expetā, ſed in patrias eorum ſedes fidēq;

meam

meam ac mitissimam iuris conditionem illos recipio, in futurum si plus consuetudo amentiæ quam officium apud eos ualebit, lenitas mea & pristina & præsens & hæc authoritas tua, graui cruentoq; in eos exemplo satienda erit.

Recōciliatis hoc modo regi Frācorū Alemānorū reliquijs maior exorta est belli cura inter duos ferocissimos ac potentissimos reges, Alaricū Visigothorū et Clodoneū Frācorū, qui & animo et uiribus pares uidebātur, et ambo erant Theo. affinitate coniuncti. Ad utrumq; igitur sollicite & scripsit & legatos misit, ad Alaricum quidem sic Quamuis fortitudini uestræ confidentiam tribuat parentum uestrorum innumerabilis multitudo, Quamuis Attilam potētem reminiscamini Visigothorum uiribus inclinatum, Tamē quia populorum ferotia corda, longa pace mollescunt, cauete, subito in aleā mittere, quos constat tantis tēporibus exercitia non habere, Terribilis est hominibus conflictus, si nō sit assiduus, & nisi usu præsumatur, concertādi subito fiducia non habetur. Absit, ut uobis aliquid indignatio cæca surripiat, Moderatio prouida est, quæ gentes seruat, furor autem instantia plærumq; præcipitat, & nunc utile solum est ad arma cōcurrere, cum locum apud aduersarium iustitia non potest inuenire. Quapropter sustinete, donec ad Francorum Regem legatos nostros dirigere debeamus, ut litem uestram amicorū debeant amputare iudicia, inter duos nobis affinitate coniunctos non optamus aliquid tale fieri, unde unum minorē contingat forsitan inueniri. Non uos parentum fusus sanguis inflammat, nō grauiter urit occupata prouincia, Adhuc de uerbis parua contentio est, facillime transigitis, si non per arma uestros animos irritetis.

Epistola Theode. ad Alaricū Regem, ne bellū cū Francis ineat.

Ad Clodoneum uero sic. Adeo inter reges affinitatis iura diuina coalescere uoluerunt, ut per corū placabilem animū proueniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod

Altera ad Clodoneū Epistola, ne bellum inferat Visigothis.

quod, nulla permittitur commotione uiolari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Socientur proximitate Domini, ut Nationes diuisæ simili debeant uoluntate gloriari. Et quasi per alueos quosdã cõcordiæ adunata se possint gentium uota coniungere. Quæ cum ita sint, miramur animos uestros, sic causis mediocribus excitatos, ut cum filio nostro Alarico rege durissimũ uelitis subire cõflictum, ut multi qui uos metuunt, de uestra cõcertatione lætentur. Ambo estis summarũ gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leuiter regna uestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Virtus uestra patriæ non fiat inopinata calamitas, Quia grandis inuidia est Regum, in causis leuibus grauis ruina populorum. Dicam libere, dicam affectuose quod sentio, impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere, A parentibus quod quæritur electis iudicibus expetatur. Nam inter tales uiros & illis gratum est dare, quos medios uolueritis efficere. Quid de nobis uosipsi æstimare poteritis, si nos intentiones uestras reliquisse cognoscitis? Absit ille conflictus, ubi unus ex uobis deleri poterit inclinatus, Abijcite ferrum, qui in meum pugnare uultis opprobriũ, iure patris uobis interminor & amantis. Ille nos & amicos nostros patietur aduersos, qui talia monita (quod non opinamur) crediderit esse temnenda. Quapropter ad Excellentiam uestram, Illum & illũ legatos nostros magno opere credidimus dirigendos, per quos etiam ad fratrem uestrum, filium nostrum, Regem Alaricum, scripta nostra direximus, ut nullatenus inter uos scandala seminet aliena malignitas, sed in pace perseuerãtes, quæ sunt inter uos, medijs amicis placabiliter finire debeatis. Hæc ad regẽ Francorũ.

Generũ hic filiũ uocat sicut & hodie fieri solet

Scripsit præterea & legatos misit eadem de causa ad alios Reges, ut Herulorum, Guarnorum et Turingorum, in hanc sane sententiã. Superbiã diuinitati semper exosam persequi debet

Epistola Theo. ad alios Reges:

debet Generalitatis assensus. Nã qui uult opinabilem gentem uoluntaria iniquitate subuertere, non disponit cæteris iusta seruare, pessima consuetudo est, despicere ueritatem. Credit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare. Et ideo uos, quos cõsciẽciæ uirtus erigit, et cõsyderatio detestabilis præsumptionis accẽdit, legatos uestros una cum meis & fratris nostri Gundibadi Regis Burgundionnm, ad Francorũ Regem LVDVIM destinate, ut aut se de Visigothorum conflictu, consyderata æquitate suspendat, & leges gentium quærat, aut omnium patiatur incursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse tẽnendũ. Quid quærit ultro, cui offertur absoluta iustitia? Dicã plane quod sentio. Qui sine lege uult agere, cunctorum disponit regna quassare. Sed melius est, ut inter initia perniciosa reprimatur assumptio. Vt sine labore perficiatur omniũ, quod certamẽ esse poterat singulorum. Hæc ad Reges Rex Theo.

Fuit bellum illud Visigothis admodum funestum & calamitosum. Sed Rex Theodericus nihil magnis regis Francorum successibus territus, quod uerbis interminatus fuerat, re compleuit. Misit enim ualidum in Gallias exercitum, qui pulsis ac uictis Francis, illam occupauit ex ea præsertim parte, quam uictor Francus Visigothis ademerat.

Bellũ Theo. contra regẽ Francorũ.

DE HONESTATE VITE Regis Theoderici. Cap. XVIII.

Honestam fuisse uitæ conuersationem huius Regis (licet nonnulli eum ex concubina procreatum fuisse affirment) facile conijcere poterit.

Argumẽta probitatis in Theod.

Qui

Qui cōſyderauerit, quam gratus in iuuentute fuerit Cōſtan-tinopoli duobus Auguſtis, Leoni & Zenoni, deinde quam charus et amabilis omnibus gentis ſuæ proceribus, atq; etiam quibuſdam externis, qui relicto natali ſolo (ſicut de Arthe-midoro relatum eſt ſupra) incertam eius fortunam ſequi maluerunt.

Dona The. ad Baſilicā S. Petri A-poſtoli.

Deinde, quam reuerenter habuerit ubiq; Clerum & loca ſacra etiam Catholicorum, licet ipſe alterius eſſet ſectæ, qui et templa quædam extruxit, & Baſilicæ S. Petri Romæ nomi-natim grandia dedit munera in ornamentū templi. Sic enim ſcribit in uita Hormiſdæ Papæ Bartholomæus Platyna. Or nauit & templum B. Petri Theodericus rex Trabe argentea Mille & X L. librarum, & Ceroſtratis duobus argenteis li-brarum L X X.

Pia cura de ſexu mulie-bri.

Præterea quāta cura & pietate mulicbri ſexui (cuius maxi mam in exercitu ſuo habebat multitudinem) patriam egreſ-ſus ubiq; prouiderit, ad cōſeruandū pudoris decus, honeſtas manſiones. Nam dum nutarent adhuc multi Italiæ populi in fide eius, antequam Odoacrem Rauennæ Triennali obſi-dione ad deditionem compelleret, magna interim ſollicitu-dine, Matrem, ſorores & omnem imbellem multitudinem Ticini cuſtodiuit. Quemadmodū refert Paulus Diaconus & Blōdus poſt eum, Quia Tuffa, flaminiæ & Aemyliæ præ fectus, multos & milites et populos ſollicitabat ad defectionē à Theoderico ad Odoacris partes. Quæ ſane res intantū per-terruit Theodericum, retardato per Tuffam uictoriæ curſu, ut ſe ſuumq; exercitum apud Ticinenſem urbem munierit. Vbi autem exercitum aliquādiu intra munitiones retinuiſ-ſet, demū relictis ibi matre, ſororibus, uniuerſaq; uulgi multi-tudine, nihil plane dubius de Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis uiri ſanctiſſimi fide, cū expeditis armatorū cuneis ad Odoa-crem obſidendum Rauennam perrexit.

Quam

Quam sancte autem & pudice fecerit educari sorores fi-liasq; & neptes suas, ex diuersis facile cognoscitur Cassiodori Epistolis, Qui sane uel unius filiæ eius, Amalasiuntæ tam magnas ac multas uirtutes cõmemorat, ut uix ulla fuerit regum aut Imperatorum filia, quæ pluribus quam illa ornata moralibus fuerit uirtutibus, Quemadmodum supra ex una ipsius Senatoris & Præfecti Prætorio Cassiodori Epistola ad senatum scripta, ex parte recitatum est, Hic ex altera ad eundem senatum Epistola, quam Rex Theodohadus, ab illa in regni societatem assumptus, scripsit, pauca referemus.

Laus Amalasiuntæ filiæ Theo.

Diuina (inquit) nobis beneficia. P.C. peruenisse, fœliciter nunciamus, Dominam rerum, toto Orbe gloriosam, consortem me regni sui, larga pietate fecisse, ut nec illi deesset fidele solatium, & nobis habitum congrue præstaretur Imperium. Et infra, In ipsa est enim decus regnorum omnium, in ipsa nostræ originis flos bonorum. Quicquid fulgemus, ab eius claritate suscipimus. Quoniam non solum parentibus laudem contulit, sed ipsum quoq; genus humanitatis ornauit, Quis possit sufficienter edicere, quanta pietate, quanto morum pondere decoretur? Discerent profecto noua Philosophi, si uiderent, & minora libris suis faterentur condita, quam huic cognoscerent attributa, In tractatibus acuta, sed ad loquendum summa moderatione grauissima. Hinc est, quod eius doctrina mirabilis, per multiplices linguas magna ubertate diffunditur. Cuius ingenium ita paratum reperitur ad subita, ut non putetur esse terrenum, In libris regum Regina Austri uenisse legitur ad discendam sapientiam Salomonis. Hic principes audiant quod sub admiratione cognoscant, paucis uerbis sensus clauditur infinitus & summa facilitate componitur, quod ab alijs nunc sub longa delibera tione formatur. Beata Respub. quæ tantæ dominæ guberna tione gloriatur. Hæc Rex Theodohadus ad senatum de una

Verba Theodohadi Regis ad senatum.

Nn filiarum

filiarum Regis Theoderici.

Verba The. ad Regem Turingorum de nepte sua.

Ipse autem Theodericus, cũ neptem suam Regi Turingorum Hermenafrido despõsaret, in hæc uerba ad eũ scripsit. Desyderantes uos nostris aggregare parentibus, neptẽ charo pignori, propicia Deitate, sociamus. Vt qui de regia stirpe descenditis, nunc etiã longius claritate Imperialis sanguinis fulgeatis. Mittimus ad uos ornatum Aulicæ domus, augmẽta generis, solatia fidelis cõsilij, dulcedinẽ suauissimã coniugalem. Quæ & dominatum iure uobiscum impleat, et Nationem uestram meliore institutione cõponat. Habebit fœlix Thoringia quod nutriuit Italia, literis doctã, moribus eruditam, decoram nõ solum genere, quantum & fœminea dignitate. Vt non minus patria uestra illius splendeat moribus, quam suis triumphis.

Verba eiusdem Theo. de sua germana.

Idem ad Transmundum, regem Vandalorum scribens, sic ait. Quamuis à diuersis Regibus expetiti, pro solidanda concordia aut neptes dedimus, aut filias, Deo inspirante cõiunximus. Nulli tamẽ æstimamus nos aliquid simile contulisse, quam quod germanã nostram, generis Amali singulare præconniũ, uestrum fecimus esse coniugiũ, fœminam prudentiæ uestræ parem, Quæ non tantũ reuerenda regno, quantũ mirabilis possit esse consilio. Sed stupeo, uos his beneficijs obligatos, Gesalecum, qui nostris inimicis, dum à nobis foueretur, adiunctus est, in uestrũ defensionem fuisse susceptum &c.

Cura bonæ Cõscientiæ.

Quantam denique bonæ conscientiæ curam habuerit, ex omnibus fere posset eius rescriptis, in quibus tantopere de iustitia cõtra uenalitates & rapacitates sollicitus fuit, intelligi, nos breuitatis gratia ex uno aut altero paucula referemus. Etenim cum Eugenitum uirum Illustrem donaret Magistri Officiorum dignitate, Inter cætera sic scripsit.

Honores ergo, quos sumis ex chartis, redde de meritis.

Nosti

Noſti enim bene, quo nobis ſtudio placeatur, qui ab ipſius Cōſilij penetralibus uenis. Meminiſti, quoties apud nos laudati ſint Innocentes, quoties bonis actibus reddidimus uicē. Ore tuo iudicia noſtra loquebamur, Exemplis talibus incitare, Eſto innocētiæ templum, Temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ, Abſit à Iudiciarijs mentibus aliquid prophanum, Pio principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.

Innocentiæ templum.

Sic & de bonis caducis, quæ principi debentur, continentiſſime ſcripſit Epiphanio uiro ſublimi, Cōſulari Prouinciæ Dalmatiæ. In hæc ſane uerba, Ioanna, Andreæ quondam Iugali ſuo ſucceſſiſſe legis munere ꝓhibetur, Quæ inteſtata, nullis exiſtentibus proximis, luce dicitur eſſe priuata. Cuius ſubſtanatia à diuerſis, nullo legitimo iure ſuffultis, Vſurpatione uoluntaria ſuggeritur poſſideri. Et quia Caduca bona fiſco noſtro cōpetere, legum cauta decreuerunt. Ideo te præſentibus Oraculis admonemus, ut huius rei ueritate diſcuſſa, ſi reuera, ut ad nos perlatū eſt, nullus ei aut Teſtamento hæres extitit, aut proximitatis iure ſucceſſit, fiſci noſtri eam facias compendijs aggregari. Quando Innocētiæ noſtræ profeſſio eſt, iuſta cōpendia non negligere, apud quem calumnia nunꝗ locū potuit inuenire, Rogari enim in talibus, non fraudari principem decet.

Bona caduca.

Poſtremo, ut ſemel finiam, Matrimonij ius & ſtatum, ſumma non honeſtate obſeruari ubiq; uoluit. Sic enim ait ad Speciosum, uirum deuotum. Propoſitum Regale eſt, grauatis per iniuriā ſubuenire, ut cohertio praui iuſtitiam faciat plus amari. Nec diſſimulari poteſt, ſalua cōmunione qua uiuitur, ut ſollicitatores publicos habeat Genialis thori reuerēda ſocietas, & illud humani generis procreabile ſacramentū, ſcelerata temeritate prophanetur.

Matrimonij honeſtas.

Et rurſus mox in proxime ſequenti reſcripto ad Probinū uirum Illuſtrem & Patritiū ſic ſcripſit, inter cætera humani

generis pondera, coniugalis affectus curam sibi præcipuam uindicauit, Nõ immerito, Quia in honore esse meretur, unde reparatio posteritatis acquiritur. Omne facinus authores solos insequitur, error matris transit ad filios, & nouo infœlicitatis euentu fit dedecus propriũ scelus alienum. Ideo enim iura uel diuina uel publica, nexum coniugij tanta cautela præcipiunt custodiri, ut crimen sit magnũ conscientiæ, alienos affectus in reuerentiam non habere.

DE CAVSA IOHANNIS Papæ I. & Illustrium Duorum uirorum Symmachi & Boecij Cap. XIX.

SVpra dictas laudes & uirtutes Reges Theoderici obscurant ac maculant nouissimi anni uitæ & regni eius duo facinora, propter quæ sane ab omnibus fere historicis infamatur, Tyrannidisq; & crudelitatis non accusatur modo sed etiam uelut conuictus damnatur. Nempe quod Iohãnem Papam eius nominis primum, quem Constantinopolim ad Iustinum Aug. miserat, reuersum Rauennæ detinuit, atq; carceris squalore confecit & extinxit, Quodq; Clariss. uiros Symachũ & Boetiũ in exiliũ actos Ticini tandẽ interfecit.

Vicia The.

Nolim equidem hunc regem, qui Arrianus fuit, ab omni crimine immunem asserere. Cuius uitã in hoc dumdaxat descripsi, ut in Reipub. administratione Regibus atq; Principibus nostri temporis in multis optime factis exemplo sit. Verum tamen si æquus lector consyderet, hunc uirum purũ hominem, non Deum fuisse, non mirabitur eum, saltem per sectæ, qua à puero imbutus erat, errorem & per subreptionem aut calumniam, aut etiam per falsæ suspicionis argumenta, quædam egisse quæ homines Catholici probare non possint, Certe nemo negare poterit,

huuc

hunc Regem multis annis & reuerentiam & honorem exhibuisse Romanis tum Pontificibus tum senatoribus.

Quod autem in Iohannem primum sæuijt tandem, à Iustino Augusto data est, si non causa, certe occasio. Ita enim habetur in uetusto libro Pontificali, Iohannes, Natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses IX. dies XVII. fuit autem à Consulatu Maximi, usque ad consulatũ Olybrij, temporibus Theoderici Regis & Iustini Augusti Christiani. Hic uocatus est à rege Theo. Rauennam, quem ipse Rex rogans, misit in Constantinopolim cum legatione ad Iustinum Imp. Orthodoxum. Eodem quippe tempore, Imperator uir religiosissimus, summo amore religionis Christianæ, uoluit Hæreticos extricare. Nam summo feruore religionis Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arrianorum Catholicas consecraret. Pro hac causa Rex Theo. Hæreticus, hoc audiens, exarsit in iram, & totam Italiã uoluit gladio extinguere. Eodem tẽpore Iohãnes Papa, ægrotus egressus cũ fletu ambulauit, pergens ad urbem Constantinopolim, & senatores cum eo, scilicet, Theodorus, Importunus & Agapitus Exconsules, & alius Agapitus Patritius. Accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso Rege, ut redderentur Ecclesiæ Hæreticis in partibus Orientis. Quod si non, omnem Italiam gladio perderet.

Historia de Iohanne Papa I.

Qui cum ambulassent cum Iohanne Papa, occurrerunt B. Iohanni PP. à Miliario XII. omnis ciuitas cum cæreis & crucibus, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Quia ueteres Græcorũ hoc testificabantur dicentes. A tempore Constantini & à B. Syluestro sedis Apostolicæ Episcopo, usque ad Iustini tempora, non meruisse partes Græciarum Vicarium B. Petri Apostoli suscepisse cũ gaudio & gloria. Tunc Iustinus Augustus, dans honorem Deo humiliauit se pronus in terram, & adorauit beatissimũ Iohãnẽ

Honores Iohãni PP. Constantinopoli exhibiti.

PP. Eodem tempore B. Iohannes PP. cum senatoribus su- prascriptis, cū grandi fletu rogauerūt Iustinum Aug. ut le- gatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui Iohānes PP. & senatores, uiri religiosi, omnia meruerunt, & liberata est Italia à Theoderico rege Hæretico. Iustinus autē Imp. gau- dio repletus est, quia meruit suis temporibus Vicariū B. Pe- tri Apostoli uidere in regno suo. De cuius manibus cū glo- ria coronatus est. Hæc ibi.

Epistola Iohannis PP. ad Italiæ Episcopos.

Iohannes autem PP. domum reuersus ex legatione, ad Italiæ Episcopos dedit Epistolam in hæc uerba, Iohannes Episcopus omnibus per prouincias Italiæ cōstitutis Episco- pis in domino salutem. Sæpissime multo iam experimento didici, sanctū pietatis uestræ studiū circa religionē Christia- nam, gloriosis crescere & dilatari augmentis. Et fides recta, quæ non solum me, sed omnes Domini sacerdotes consola- tur & roborat, uestris in mentibus & operibus per sacerdota le agnoscitur opus, & dilatatur. Quapropter fratres hortor uos & moneo, contra Arrianam perfidiam, quæ olim nō se mel sed sæpe damnata est. Et modo in quibusdā reuiuiscit, Armari gladio Spiritus sancti, ut eam ita adminiculante di- uina gratia, opprimere & extirpare ualeamus, ut nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias uero Arrianorū, ubi- cūq; inueneritis Catholicas eas diuinis precibus & operibus absq; ulla mora consecrate. Quia & nos, quādo fuimus Con stantinopoli, tam pro religione Catholica, quam & pro Re- gis Theo. causa negocij, suadente atq; hortante Arrianosq; extirpāte Pijssimo atq; Christianissimo Iustino Orthodoxo Imperatore, Quascunq; illis in partibus eorum Ecclesias re- perire potuimus, Catholicas eas domino opēm ferente con- secrauimus. Et quamq; prædictus Theo. Rex eorum peste tactus intrinsecus, & obuolutus extrinsecus nos & omnem regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur.

minetur, Nolite tamen propterea deficere, & uiriliter in agro dominico elaborare studete, & iuxta ueritatis uocem Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest animā & corpus mittere in gehennam. Hæc ibi.

Quod si uere ab hoc Pontifice sic edita fuit ista Epistola, non mirabor equidem, iratum ei fuisse regem Theodericū, tum quod contra legationis causam et mandatū, in partibus Orientis Ecclesias Arrianis eripuerat, & Catholicas consecrando fecerat. Tum quod in publico scripto ausus fuerit eum regē crimine hæresis infamare, & audacter dicere, quod Arrianorum peste esset tactus intrinsecus & obuolutus extrinsecus: Cum ille putaret, Arrij fidē esse uerissimā Christi & sanctorum patrum, qui ante Arrium fuere, per totū Orbem fidem rectam & Catholicam, ea opinione à puero usq; imbutus. Causa iræ Theoderici contra Iohannē PP.

Neq; tamen alia in illum atrocitate pœnarum animaduertisse dicitur, nisi quod ipsum una cum alijs legationis illius socijs carceri mancipauit, in quo extinctus sit pedore squalore & inedia, ut refert Sabellicus. Paulus autem Diaconus ait sic. Theodericus ductus malicia, quod Pontificem Iustinus Catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum socijs, carceris afflictione peremit. Sed hanc eius inmanissimam crudelitatē mox animaduersio diuina secuta est. Nam Nonagesimo Octauo, post hoc facinus die, subita morte defunctus est. Cuius animā solitarius quidā apud Liparam Insulam, uir magnæ uirtutis aspexit, inter Iohānē Papam & Symmachum Patritium deduci & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi. Verba Pauli Diac.

Hæc ille Diaconus, quæ ex S. Gregorij Dialogis desumpsisse uidetur. Vbi recitat sanctus pater, ex ore Iuliani, secundi defensoris Ro. Ecclesiæ, quod Theoderici regis tēporibus Gregori. in Dialogis lib. 4. c. 30.

pater

patri soceri eius, in Sicilia exactionem Canonis egerat, atque iam ad Italiam rediebat, cuius nauis appulsa est ad Insulam quæ Liparis appellatur. Et quia illic uir quidam solitarius magnæ uirtutis habitabat, Dum nautæ nauis armamenta repararent, uisum est prædicto patri soceri eius ad eundem uirum Dei pergere, seque eius orationibus cōmendare. Quos uir Domini cū uidisset, eis inter alia colloquens dixit, Scitis, quia Rex Theodericus mortuus est? Cui illi protinus responderunt. Absit, nos eum uiuentē dimisimus, & nihil tale ad nos de eo nunc usque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit dicens, etiā mortuus est. Nā hesterno die hora Nona inter Iohannē Papam & Symmachum Patriciū, discinctus atque discalciatus & uinctis manibus deductus, in hanc uicinā Vulcani ollam iactatus est, quod illi audiētes, sollicite conscripserunt diem, atque in Italiam reuersi, eo die Theodericum regem inuenerunt fuisse mortuū, quo eius exitus atque supplicium Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Iohānem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque Patritium ferro trucidauit, ab illis in ignem mitti apparuit, quos in hac uita iniuste iudicauit.

Anima Theo. regis æternaliter damnata.

Hæc Gregorius, Quæ profecto neque ab ipso, neque etiam à Iuliano Defensore, ne à Solitario quidem conficta crediderim, neque negauerim, sanctos illos homines à rege Theoderico iniuste interemptos fuisse. Neque miror, si anima huius regis sit protinus ab exitu huius uitæ in Infernum detrusa, etiā si nihil mali in prædictos uiros perpetrasset, sufficiebat enim una illa Hæreticæ labis causa ad æternam eius damnationē, iuxta illud Symboli B. Athanasij. Quicūque uult saluus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integrā inuiolatamque seruauerit, absque dubio inæternū peribit. Nihil igitur prodesse poterant huic Regi, qui extra Ecclesiæ fidem & unitatē in Arriana uixit hæresi, ad æternæ

salutis

ſalutis conſecutionem tam præclaræ in uita & moribus uirtutes, et adeo pulchra ac ſalutaria In Reipub. adminiſtratione tum factorum exempla tum legum et iuſtitiæ conſtituta, quia extra Eccleſiam & fidem Catholicã nulla poteſt reperiri uera uirtus. Omnium enim uirtutum forma & uita Charitas eſt, ſine qua nihil ad ſalutem prodeſſe poteſt, non fides, non prophetia, non eleemoſyna, ne martyriũ qnidem, ſicut apertiſſime docent Paulus Apoſtolus & Cyprianus Martyr, ac Pontifex.

Quantum uero ad Boetij & Symmachi, uirorum Conſularium et Patritiorum, cauſam attinet, crediderim equidẽ, eos à rege Theoderico non abſq; magna ratione in exilium actos fuiſſe, quorum opera tam honorifice perſæpe uſus fuerat, et quos tantis euexerat honoribus, ut inter ſenatores uix ulli eſſent illis uel honoratiores uel authoritate maiores. Extant ſane aliquot Regis illius ad eos Epiſtolæ, in quibus ita magnifice prædicantur, ut uix ulla alia ſuperſint ſcripta, in quibus uel amplior uel ſolidior laus eorum exprimatur.

Verba Theo. ad Boetium.

Etenim ad Boetiũ ſcribens, inter cætera ſic ait. Domeſtici partis Equitum & Peditum, qui noſtræ Aulæ uidentur iugiter excubare, quod ex magnis fieri doloribus ſolet, adunata nobis ſupplicatione cõqueſti, ab illo Arcario Præfectorũ, pro emolumentis ſolennibus, nec integri ponderis ſolidos percipere, & in numero grauia ſe diſpendia ſuſtinere. Quapropter prudẽtia ueſtra, lectionibus erudita dogmaticis, ſceleſtam falſitatem à conſortio ueritatis eijciat, ne cui ſit appetibile, aliquid de illa integritate ſubducere. Et in alia rurſus ad eundem bene longa Epiſtola, ſic exorſus eſt.

Spernenda nõ ſunt, quæ à uicinis Regibus præſumptionis gratia poſtulantur, dum plærumq; res paruæ, plus præualent præſtare quam magnæ poſſunt obtinere diuitiæ. Frequenter enim quod arma explere nequeunt, oblectamina

suauitatis imponant. Sit ergo pro Repub. & cum ludere uideamur. Nam ideo uoluptuosa quærimus, ut per ipsa seria cōpleamus, Burgundionū itaq; dominus à nobis magnopere postulauit, ut horologiū, quod aquis sub modulo fluentibus temperatur, & quod Solis immensi cōprehensa illuminatione distinguitur, cum Magistris rerum ei transmittere deberemus, Quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis est quotidianum, illis uideatur esse miraculum. Merito siquidem respicere cupiunt, quod Legatorum suorū relationibus obstupescunt. Hoc te multa eruditione saginatum, ita nosse didicimus, ut artes quas exercent uulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaueris.

Horologiū.

Magna Boetij laus ab eruditione.

Sic enim Atheniēsium scholas longe positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinā feceris esse Romanam. Didicisti enim qua profunditate cum suis partibus speculatiua cogitetur, Qua ratione Actiua cū sua diuisione discatur, deducens ad Romuleos senatores quicquid Cecropidæ Mūdo fecerāt singulare. Translationibus enim tuis Pytagoras Musicus, Ptolomæus Astronomus leguntur Italiæ. Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclydes audiuntur Ausonijs, Plato Theologus, Aristoteles Logicus, Quirinali uoce disceptāt, Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti, & quascunq; disciplinas uel artes fœcunda Græcia per singulos uiros edidit, te uno authore patrio sermone Roma suscepit. Quos tanta uerborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate cōspicuos, ut potuissent & illi opus tuum præferre, si utrumq; didicissent. Tu artem prædictam, ex disciplinis nobilibus natam, per Quadrifarias Mathesis ianuas introisti. Tu illā in Naturæ penetralibus confidentē, authorum libris inuitantibus, cordis lumine cognouisti, cui ardua nosse usus, monstrare propositū est, molitur ostendere

quod

quod obstupescant homines euenisse, miroq; modo naturis conuersis, facti detrahit fidem, Cum ostentet ex oculis uisionem. Facit aquas ex imo surgentes praecipites cadere, ignem ponderibus currere, organa extraneis uocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos compleri, ut iniuncta possint arte cantare.

Est rursus alia bene prolixa ad eundem Boetium, Regis Theoderici Epistola. In qua sic habet exordium. Cum Rex Francorũ, conuiuij nostri fama pellectus, à nobis Cytharoedum magnis precibus expetisset, sola ratione cõplendum esse promisimus, quod te eruditionis Musicae peritum esse noueramus. Adiacet enim nobis doctum eligere, qui disciplinam ipsam in arduo collocatã, potuistis attingere. Quid enim illa praestantius, quae caeli machinam sonora dulcedine modulatur, & naturae conuenientiam, ubiq; dispersam, uirtutis suae gratia comprehendit. Haec Rex ad Boetium. Tertia Theo. Epistola ad Boetium.

Ad Symmachum quoq; scripsit, sed alijs de causis & rebus, in quibus eius uirtutũ & industriam cõmendat. Etenim contra eum, qui patrem suum impie pulsauerat, multa de pietate referens, circa finẽ sic prosequitur cõmissionem, Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatẽ auib. in esse cognoscunt? Romulum itaq;, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen foedat Romanum, ad uestrum facite uenire iudicium. Et si eum patri suo Martino manus iniecisse cõstiterit, protinus legitimã sentiat ultionem. Quia ideo elegimus mores uestros, quia crudelibus parcere nõ potestis, quãdo genus pietatis est, in illos distringere, qui contra naturae ordinẽ sceleratis se docentur actionibus miscuisse. Haec ibi. Verba Theodo. ad Symachũ.

In alia uero ad eundem Symmachũ Epistola sic scripsit. Cũ priuatis fabricis ita studueris, ut in laribus proprijs quaedam moenia fecisse uidearis, dignum est, ut Romam, quam domum pulchritudine decorasti, in suis miraculis continere Laus Symmachi ab ingeniosis fabricis.

noscaris. Fundatur egregius fabricarum, earumq; comptor eximius. Quia utrumq; de prudentia uenit, & apte dispone-re, & extantia cōpetenter ornare. Notū est enim quanta lau-de in suburbanis suis Romam traxeris, ut quem illas fabricas intrare contigerit, aspectum suum extra urbem esse nō sen-ciat, nisi cū se et agrorum amœnitatibus interesse cognoscat. Antiquorum diligentissimus imitator, modernorum nobi-lissimus institutor, Mores tuos fabricæ loquuntur. Quia ne-mo in illis diligens agnoscitur, nisi qui & in suis sensibus or-natissimus inuenitur. Et ideo Theatri fabricā, magna se mo-le soluentem, consilio uestro credimus esse roborandam, ut quod ab authoribus uestris in ornatū patriæ constat esse con cessum, non uideatur sub melioribus posteris imminutum. Et post multa, in fine expensas (inquit) uobis de nostro cu-biculo curauimus destinare, ut & uobis acquiratur tam boni operis fama, & nostris temporibus uideatur Antiquitas de-centius innouata. Hæc ad Symmachum Rex Theo. Quis ergo credat, hunc Regem, tā studiosum senatus, Reiq; pub. amantem, absq; magna ratione aut causa, istos duos senato-res, tā nobiles ac Illustres, Reipub. tam utiles ac necessarios, adeo charos sibi eiusq; regno & nomini honorificos, uel rele-gasse uel de medio tandem tulisse? Historici nostri Catholi-ci, odij in Arrianos zelo accensi, ipsum quidem factū acerba uerborum exaggeratione detestantur, sed causam leuiter per stringunt, ac uix bene attingunt, facile tamē crediderim, Ca-tholicæ religionis assertionē, præbuisse & ipsis odium in re-gem Arrianum, & regi suspicionem aduersus eos, tanquam nouarum rerum cupidos, quod maluerint Romam & Italiā Imperio restitui, & Orthodoxo tradi Imperatori, Augusti nomen habenti, quam perpetuo sub Arrianorū dominatio-ne premi. Siue igitur uere id intenderint, pij & generosi uiri illi, siue falsa delatione in suspicionē uenerint, hāc potissimū

Religio di-uersa odiū parit.

crediderim

crediderim fuisse causam, quod Ticinum relegati fuerunt ac demum, post reditum Iohannis Papæ, qui tam aperte cõtra Arrianos egit & scripsit, eorumq; extirpationem intendit, fuerint occisi, ne quid pro Iustino Aug. aduersus Ostrogothorum regnum moliri possint.

Sic enim ait Blondus, Iustinus Imperator hæresum radicibus per Orientẽ extirpandis intentus, eiecit omnes Arrianæ sectæ Episcopos, priuauitq; commissis Ecclesijs sacerdotes. Tulit uero eam rem grauiter Theodericus Italiæ rex, ipsa Arrianorum labe, quam maiores sui sub ualente Imperatore imbiberant, inquinatus. Quamq; non magis molestam habuisse Arrianorum insectationem quam suspectam omnẽ boni Imperatoris noui uitã duxisse uidetur. Hinc optimos ciues Romanos Symmachũ & Boetium suspectos habuit, eosq; exacto Consulatus anno, deferentibus Opilione & Gaudentio factiosissimis ciuibus, Papiam relegauit, Quo in tempore Theodatum nepotem ex Narbonensi prouincia reuocans, Etruriæ præfecit. Et ne Romani ciues ob Symachi & Boetij relegationem, de solita benignitate diffiderent, rex Senatui permisit, unũ ex gente Patritia mitterent Theodato in Narbonensi prouincia successorem. Hæc Blondus. Verba Blondi.

Otto autem Episcopus olim Frisingensis, etsi Theodericum maxime criminatur Tyrannidis, causam tamen relegationis hisce exprimit uerbis. Cernens hoc clarissimus uir, cõsularis ordinis Anitus M. Boetius, ac rationis intuitu animaduertens, dum Tyrannidi eius obuiare molitur, ab eo in exilium trusus, Papiæ in carcere ponitur, ubi de contemptu Mundi Philosophicum ualde utile scripsit opus. Otto Frising. lib. 5. c. 1.

Quod igitur non absq; omni suspicionis causa relegati fuerint, atq; etiam tandem occisi, Clarissimi illi uiri, argumẽto est, quod neq; ulla extant eorũ scripta, in quibus de Theoderici regis Tyrannide fuerint conquesti, neq; ulla pro ipsis reperitur Boetium & Symachũ fuisse Theoderico suspectos.

reperitur uel querela uel intercessio senatus ad Regem, neq; post obitum Theoderici ulla Romæ exorta sit aduersus regni eius successores rebellio. Quod utique facile potuisset fieri, si propter occisos Symmachum & Boetium rex fuisset uel senatui uel populo Ro. exosus. Quandoquidem Hæredes et regni successores post se reliquit duas per sese imbelles personas, Amalasiuntam filiã et Athalaricum nepotem puerũ, uix bene Octo ætatis annos habentẽ. Quibus tamen nemo prorsus repugnauit. Id quod facile cognoscitur ex ea Epistola, quam nouus post obitum Theoderici Rex ad senatũ dedit. Sic enim ait.

Epistola Athalarici noui Regis ad senatũ.

Plenissimũ gaudium constat esse P. C. cognoscere Dominantis exortum. Vt qui creditur uniuersos posse protegere, audiatur ad regni culmina peruenisse, Quem non protulit cõmota seditio, non bella feruentia pepererunt, non Reipub. damna lucrata sunt, Sed sic factus est per quietẽ, quẽadmodum uenire docuit ciuilitatis authorem. Magnũ profecto fidelitatis genus, obtinere sine contentionibus principatum, & in illa Repub. adolescentem Dominum fieri, ubi multos constat maturis moribus inueniri. Non enim potest cuilibet ætati deesse consilium, ubi tot parentes publicos constat inuentos, Prælata est ergo spes nostra cunctorũ meritis, & certius fuit de nobis credi, quam quod de aliis potuit approbari. Nõ iniuria, quoniam quæuis claritas generis Amalis cedit, Et sicut qui ex uobis nascitur, origo senatoria nuncupatur. Ita qui ex hac familia progreditur, regno dignissimus approbatur.

Theodericus in extremis Regem constituit neporulum suũ ad huc puerum.

Probata sunt præsenti facto quæ loquimur. Nam cum Domini Aui nostri pro beneficiorum quãtitate, dulcissima nobis recordatio urgeretur extremis, Magnitudinem dominationis suæ tanta in nos celeritate transfudit, ut non tam regnum quam uestem crederes esse mutatam. Tot proceres,

manu

manu cōsilioq; gloriosi, nullū murmur (ut assolet) miscuerit: Sed ita cum magno gaudio secuti sunt principis sui iudicia, ut uoluntatem ibi potius agnosceres confluxisse diuinam. Quapropter necessarium duximus, propicio Deo, de ortu Regni nostri uos facere certiores. Quia dilatatū potius quā mutatum uidetur imperium, cum transit ad posteros. Nam quodāmodo ipse putatur uiuere, cuius uobis progenies cognoscitur imperare. Hæc habuerunt uestra uota, hæc illius fuit indubitata sententia, ut hæredem bonorum suorum relinqueret, qui beneficia eius in uobis possit augere. Amore principum cōstat inuentum, ut simulacris æneis fides seruaretur imaginis, Quatenus uentura progenies authorem uideret, qui sibi Rempub. multis beneficijs obligasset. Sed quāto uerior est, qui uiuit in posteris, per quos plærūq; & forma corporis redditur, & Vigor animi protelatur.

Hæc & id genus multa in suis Rescriptis nouellus Rex, in laudē Aui sui, absq; odij aut inuidiæ metu, publice professus est, et permansit laus Theoderici in Repub. Ro. immota, usq; in finem Imperij Gothorum. Nam & Vitigis Rex, post interfectum Theodohadum regem, mox à sui electione, promisit publico Edicto, tale imperium suum, quale Gothos habere deceret post inclytum Theodericum, qui ad regni curas singulariter et pulcre cōpositus fuerat, ut merito unusquisq; principum tantum præclarus intelligatur, quantum cōsilia ipsius amare dignoscitur. Hactenus ex Cassiodoro dictū sit. Laus The. usque ad finem regni Gothorū.

Reliqua de hoc rege, ex alijs duobus contemporaneis authoribus (quibus iustius quam posterioribus habeatur fides) referētur, utpote ex Procopio & Sidonio. Etenim procopius de exitu Theoderici sic refert. Annos itaq; Theodericus, cum septē & Triginta superuixisset, uitam finiuit. Qui utiq; ut hostibus horribilis fuit, ita & subiectis immodicū sui desyderium moriendo reliquit. Sed mortis illi hæc causa fuit Verba procopij.

Symmchus,

Symmachus, & huius gener, Boetius, à suis maioribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & senatorios uiros, principes erant, & Consulatus utriq; dignitate perfuncti, Philosophiæ supra cæteros & æquitati studuerant, multisq; tam ciuium quam externorum inopiæ succurrendo, saluti fuere. Hi postquã ad ingentem gloriam euasere, deterrimos quosq; in sui inuidiã concitarunt. Nã his delatoribus Theodericus Rex persuasus, Symmachum Boetiumq; res perinde nouantes occidit, eorumq; bona omnia publicauit. Sed paucis post diebus cœnanti sibi, cum miræ magnitudinis piscis ministri decoctũ caput apposuissent, Symmachi nuper occisi caput illi est uisum, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & torue intuentibus oculis, furibunde sibi & acerbius comminari. Vnde monstri nouitate territus, membrisq; præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum statim citato gressu secessit. Identidemq; iubendo, togarum ut sibi uim magnam ingererent, lecto decubuit, et parumper quieuit. Elpidio deinde Medico omnibus, quemadmodum accidissent, diligentius explicatis, in Symmachum Boetiũq; patratum per se scelus deflebat. Quo deniq; deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud lõge post moritur. Cum primũ id iniustitiæ et ultimum in suos idcirco exercuisset exemplum, Quia non suo et pristino more diligenter peruestigata causa, in tantos uiros animaduerterat. Hæc Procopius.

Alij 33. annos regno eius tribuũt Anni uero uitæ longe plures fuerint. Non enim puer, sed uir iam erat, quãdo Italiæ regnum obtinuit.

Portentum cœnãti The. conspectũ.

DE FORMA CORPORIS ET de moribus Theoderici regis ex Sidonio Cap. XX.

Lætiora uero refert de illo Sidonius in Epistola sua, cuius & supra facta est mentio. Nunc totam referam, & per eam de

eam de hoc Rege finem concludam, unicuiq; suum de eo relinquens iudicium. Igitur Epistola Sidonij Apollinaris, qui apud Aruernos in Gallijs & generis nobilitate & Episcopatus dignitate claruit, sic habet. Sidonius Agricolæ suo salutem. Sæpe numero postulauisti, ut quia Thoderici Regis Gothorum commendat populis fama ciuilitatem, literis tibi formæ suæ quantitas, uitæ qualitas, significaretur. Pareo libens, inquãtum Epistolaris pagina finit, laudaturus uitæ tamdulcatæ sollicitius ingenuitatem. Ipse etenim est & illis dignus agnosci, qui eum minus familiariter intuentur. Ita personam suam Deus arbiter & ratio naturæ cõsummatę fœlicitatis dote sociata cumulauerunt. Mores autẽ huiusce modi, ut laudibus eorum nihil, ne regni quidẽ defraudet inuidia. Si forma quæratur, corpore exacto, longissimis breuior, procerior eminentiorq; mediocribus, Capitis apex rotundus, in patulum à planicie frontis uerticem cesaries refuga crispatur, Ceruix non sedet neruis, geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus. Si uero cilia plectantur, ad malas medias palpebrarum margo prope peruenit. Aurium legulæ, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiũtur, Nasus uenustissime incuruus, Labia subtilia nec dilatatis oris angulis ampliata, pilis intra narium antra fruticantibus quotidiana succisio, Barba concauis hirta temporibus, quam in subdita uultus parte surgentem, stirpitus tonsor assiduus genas ad usq; forcipibus euellit, Menti, gutturis, colli, non obæsi, sed succulenti lactea cutis, quæ propius inspecta, iuuenili rubore diffunditur. Nam hunc illi crebro colorem, non ira, sed uerecundia facit. Teretes humeri, ualidi lacerti, dura brachia, patulæ manus, recedente aluo pectus accedens, Aream dorsi inter excrementa costarum spina discriminat. Tuberosum est utrumq; musculis prominentibus latus, insuccinctis regnat uigor ilibus, Corneum fœmur, inter

Epistola Sydonij Apollinaris de Theode.

Forma corporis.

Actiones diurnæ.

nodia poplitum bene mascula, Maximus in minime rugosis genibus honor, Crura suris fulta turgentibus, & qui magna sustentat membra pes modicus. Si actionem diurnam, quae est forinsecus exposita, perquiras, Antelucanos sacerdotum suorum coetus minimo comitatu expedit, grandi sedulitate ueneratur, quamquam (sit sermo secretus, possis animaduertere, quod seruet istam pro consuetudine potius quam pro ratione reuerentiam, Reliquum mane cura administrandi regni sibi deputat. Circumsistit sellam Comes armiger, pellitorum turbae satellitũ, ne obsit, admittitur: ne obstrepat, eliminatur, sicque pro foribus im murmurat, exclusa uelis, inclusa cãcellis. Inter haec intromissis gentium legationibus, audit plurima, pauca respondet. Siquid tractabitur, differt. Siquid expedietur, accelerat. Hora secunda surgit e solio, aut thesauris inspiciendis uacaturus aut stabulis.

Venatio. Si uenatio est nunciata, procedit, Arcum lateri innectere, citra grauitatem regiam iudicat. Quem tamen, si cominus auem feramque aut uenanti monstres, aut uianti, manui post tergum reflexae puer inserit neruo loroue fluitante. Quem sicut puerile computat gestare thecatum, ita muliebre, accipere iam teusum. Igitur acceptum modo in insinuatis e regione capitibus intendit, modo ad talum pendulum nodi parte conuersa, languentẽ cordae laqueũs uagrãtis digito superlabente prosequitur, & mox spicula capit, implet, expellit, quidue cupias percuti, prior admonet. Eligis quid feriat, quod eligeris ferit. Quod si ab alterutro errandum est, rarius fallitur figentis ictus quam destinantis obtutus.

Cõuiuium. Si in conuiuium uenitur, quod quidem diebus profestis simile priuato est, non ibi impolitam congeriem liuentis argenti mẽsis sedentibus suspiriosus minister imponit. Maximũ tunc pondus in uerbis est. Quippe cũ illic aut nulla narrantur, aut seria, Toreumatum peripetasmatumque modo

conchiliata

conchiliata profertur supellex modo byssina, sibi arte non precio placent, fercula nidore, non pondere, Scyphorum & paterarum raras oblationes, faciliusest ut accuset sitis quam recuset ebrietas. Quid multis? Videas ibi elegantiā Græcā, abundantiam Gallicanam, celeritatem Italicam, publicam pompam, priuatam diligentiam, regiam disciplinā. De luxu autem illo sabbatario narrationi meæ super sedendum, qui nec latentes potest latere personas. Ad cœpta redeatur.

Ludus Aleæ.

Dapibus expleto, somnus meridianus sæpe nullus, semper exiguus. Quibus horis uiro tabula cordi est. Tesseras colligit rapide, inspicit sollicite, uoluit argute, mittit instanter, ioculanter cōpellat, patienter expectat, in bonis iactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in utrisq; Philosophatur, secundos fastidit uel timere uel facere. Quorū opportunitates spernit oblatas, trāsit oppositas, sine metu euaditur, sine colludio euadit. Putes illum et in calculis arma tractare. Sola est illi cura uincendi, Cū ludendum est, Regiam sequestrat tantisper seueritatem, hortatur ad ludum libertatē cōmunionemq;. Dicam quod sentio. Timet timeri, Deniq; oblectatur commotione superari, & tunc demū sibi cessisse collegam credit, cū fidē fecerit uictoriæ suæ bilis aliena. Quodq; mirere, sepe illi lætitia minimis occasionibus ueniens, ingentium negociorum merita fortunat. Tunc petitionibus, diu ante per patronorum naufragia iactatis, absolutionis subitæ portus aperitur. Tunc ego etiam aliquid obsecraturus, fœliciter uicor, quādo malis ad hoc tabula petit, ut causa saluetur.

Audientia publica post meridiem.

Circa Nonā recrudescit moles illa regnandi, redeunt pulsantes, redeūt submouētes. Vbiq; litigiosus fremit ambitus, qui tractus in uesperam, Cæna regia interpellante, rarescit, & per Aulicos deinceps pro patronorum uarietate dispargitur, usq; ad tempus concubiæ noctis excubaturus. Sane intro mittimur, quamq; raro inter cænandum mimici sales, ita

Cæna regia

 ut nullus

at nullus conuiua mordacis linguæ felle ferlatur, sic tamen quod illic nec organa hydraulica sonant, nec sub Phonasco uocaliũ cõcentus meditatum acroma simul intonat. Nullus ibi lyristes, Choraules, Mesochorus, Tympanistria, Psaltria canit, Rege solum illis fidibus delinito, quibus non minus mulcet uirtus animum quã cantus auditum, Cũ surrexerit, inchoat nocturnas aulica casa custodias, Armati Regiæ domus aditibus assistunt, quibus horæ primi soporis uigilãtur. Sed iam quid meas istud ad partes, qui tibi indicanda, non multa de regno, sed pauca de Rege pro misi? Simul & stylo finem fieri decet, quia & tu cognoscere uiri non amplius quã studia personãq; uoluisti. Et ego nõ historiã, sed Epistolam conficere curaui.

Hæc Sydonius. Quibus addere libet, quæ Boetius in fine Quinti libri sui de cõsolatione Philophiæ scripsit, cõtra eos, qui propter Dei prouidentiam liberum arbitrium hominis negant. Sic ergo ait.

Duplex necessitas. simplex & cõditionalis.

Duæ sunt (inquit) necessitates. Symplex una, ueluti quod necesse est oẽs homines esse mortales, altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisq; nouit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim, necessitate non propria facit natura, sed cõditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere uoluntate gradientem, Quamuis eum tamen, cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid prouidentia præsens uidet, id necesse est esse, tametsi nullam habeat naturæ necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate proueniunt, præsentia cõtuetur. Hæc igitur, ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt, per conditionem diuinæ notionis: Per se uero consyderata, ab absoluta naturæ suæ libertate nõ desinũt.

Fiunt

Fiunt igitur proculdubio cuncta, quæ futura Deus esse præ- noscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio. Quæ quamuis eueniant existendo, tamen propriam naturã non amittunt, Quia priusquam fierent, etiam non euenire potuissent. Quid igitur refert, nõ esse necessaria, cum propter diuinæ scientiæ cõditionẽ, modis omnibus necessitatis instar eueniant? Hac scilicet, quod ea quæ paulo ante proposui, sol oriens & gradiens homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt: Eorum tamen unum prius quoq;, quam fieret, necesse erat existere, alterũ uero minime. Ita etiã quæ præsentia Deus habet, proculdubio existunt, sed eorum hoc quidẽ de rerum necessitate descendit, illud uero de potestate facientium. Haud igitur iniuria diximus, hæc si ad diuinã noticiã referantur, necessaria, si per se consyderentur, necessitatis esse nexibus absoluta: sicut omne quod sensibus patet, si ad rationẽ referas, uniuersale est, si ad seipsa respicias, singulare. Sed si in mea (inquies) potestate situm est, mutare propositum, euacuabo prouidentiã: Cũq; illa prænoscit, forte mutauero. Respondebo, propositum te quidem tuum posse deflectere, Sed quoniam & id te posse, & an facias, quoue conuertas, præsens prouidentiæ ueritas intuetur, diuinam te præscientiã non posse uitare, sicuti præsentis oculi effugere nõ possis intuitum, quamuis te in uarias actiones libera uoluntate cõuertas. Quid igitur (inquies) ex mea ne dispositione scientia diuina mutabitur? Vt cum ego nunc hoc nunc aliud uelim, illa quoque noscendi uices alternare uideatur? B. Minime. P. Omne namq; futurum diuinus præcurrit intuitus, & ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet & reuocat. Nec alternat, ut tu æstimas, nunc hoc nunc illud prænoscendi uices, sed uno ictu mutationes tuas manens præuenit atq; cõplectitur. Quã cõprehendendi omnia uisendiq; præsentiam non ex futurarum prouentu rerum, sed ex propria

Præclara resolutio de diuina prouidentia & de lib. arbitrio.

B. Boetius. P. Philosophia.

Deus simplicitate fortitus est. Ex quo illud quoque resoluitur, quod paulo ante posuisti, indignum esse, si scientiae Dei causam futura nostra praestare dicantur. Haec enim scientiae uis praesentaria notione cuncta cōplectēs, rebus omnibus modū ipsa constituit: Nihil uero posterioribus debet. Quae cum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrij libertas, nec iniquae leges solutis omni necessitate uoluntatibus, praemia poenasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum praescius Deus, uisionisque eius praesens semper aeternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis praemia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positae spes precesque, Quae cū rectae sint, inefficaces esse non possunt. Auersamini igitur uitia, colite uirtutes, ad rectas spes animum subleuate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna uobis est (si dissimulare non uultis) necessitas indicta probitatis, cū ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Haec Boetius in fine ultimi libri sui de consolatione Philosophiae, Quibus non inepte (ni fallor) adnectuntur ea, quae in principio libri de disciplina scholarium posuit, sic sane ait & orditur. Vestra nouit intētio de scholariū disciplina cōpēdiosum postulare tractatū. Vtinā à spiritus mei paruitate, prout facultas suppetit, ingenijque decliuitas erūnarūque tenacitas, amicis uestris ô Martiane petitionibus tētabo acquiescere. Et licet duplici genere cōmētorū sim impeditus, nō tamē omnino diuersorū, in quasdam Aristotelis necnon aliorum Philosophorum aeditiones, proprioque attenuatus studio, & inhumani Regis Gothorum cruciatu corrosus, Philosophico me praeueniente consolatu, extremaque profundae Trinitatis perspicatione permollitus.

EXPLICIT VITA THEODERICI Regis Gothorum.

Querela

QVerela, cuius intitulo libri fit mentio, adiungi modo nō poteſt, Quia Quaternionum unus, intercidit, Reſeruanda eſt igitur in aliud tempus, quouſq; redintegretur.

CORRECTORIVM.

Bb.2. facie 1. linea 9. a cunabulis Et. lin. 10. Theodericus. Et lin. 19. ille libenter. Et lin. ult. exprobrat Bb. 4 fa. 2. lin. 21 gens Gothica. Cc. 1. fa. 2. lin. 28. Populos. Cc. 4. fa. 2 li 10. ab Odouacre Et. li 21. Odouacer. Dd 2. fa. 1. li. 5. Triarij. Ee 2. fa. 1. li. 4. ſupereſſet. Et. li. 9. quod Et fa. 2. li. 11. Blondus. Ee. 3. fa. 2. Anitius. Ff. 1 fa. 1. li. 12. nō Et fa. 2. li 26. ex Paulo Diacono. Et li 29. Eutharicum. Et li. 30. Hæreditatis. Ff. 2. fa. 1. li. 2. Clodouci. Et li. 22. autem. Ff. 3. fa. 1. li. 11. autem. Et. li 12. Romanus Et li. 15. Centurionumq; Et fa. 2 li. 2. ſcriptoris. Et. li. 14. inſtaurari. Ff. 4. fa. 2. li. 14. ſunt enim. Gg 3. fa. 1. li. 1. Ludicræ. Et fa. 2. li. 1. conſeruetur. Hh 1. fa. 2. li. 6. permittuntur. Hh. 1. fa. 2. li. 12. . ſubmotus. Hh 3. fa. 1. In margine. Noſter autem ſub nepote eius Præfec. Præt. fuit. Et in Sicilia. li. 1. fa. 1. li. 14. non poſſet. Et fa. 2. li 2. exfundamēto. Ii. 4. fa. 2 li. 22. Saioni Kk. 1. fa. 1. li. 5. notus. Et. li. 15. innumera Et fa. 2 li 3. gratus ibi regreſſus. Kk. 2. fa. 1. li. 3. notus. Et li 21. Sic. Et. fa. 2. li. 16. inſubſcriptionibus. Ll. 1. fa. 1. li. 5. nunc animos. Et fa. 2. li. 18. fuit illo Ll. 2 fa. 1. li. 1. Roma. Mm. 2. fa. 1. li. 22 reliquiæ. Mm. 3. fa. 1 li. 4. ſancienda. Et li. 20 tunc Mm. 4 fa 1 li. 12. ultra. Et. li 21. illas. Nn 1. fa. 1. li. 24. ueſtram. Et li 30. Eugenitim. Nn. 2. fa. 1 li. 24. ſumma cum. Et. fa 2. li. 14. Regis Theo Oo. 2. fa 1. li. 18. uirtutem. Et. li. ult. domuum. Et fa. 2. li 1. fundator Oo. 3. fa. 2. li. 17. decuit.



